

TVS

Small, dark, rectangular label on the lower left corner of the cover.



Sammelband

Box 95.

CANTICUM
CANTICORUM
SALOMONIS,

Liber

Id 4800

De

CHRISTI IESU,
ET ECCLESIAE SPON-
sæ ejus ardentissimis simul et-
iam castissimis amo-
ribus,

Carminè Elegiaco redditum

Ab

ANDREA HENÆO, P. L.

Ecclesiæ Wangenheimensis
Pastore.

WITTEBERGÆ

Typis Job. Gorman. Anno 1616.

CANTICUM

CANTICORUM

SALOMONIS

Liber

CHRISTI

ET ECCLESIE

IN CURIA

ANNO

MD

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI



Præfatio,

quâ

LECTORI AD

interrogata varia re-
spondeo.



VIS Sponsus? CHRISTUS. Quæ
sponsa? Ecclesia CHRISTI,
Quæ sacra intrepidâ est verba
professa fide.

Quæ colloquia ipsorum? Castissima. carnem

Cur vero redolent? Tu quia fortè caro es.

Spiritus in te si CHRISTI est, carnale quod esset

Carmine in hoc prorsus nil, bone LECTOR, habes.

OSCULA quæ petit à Sponso Sponsa illa quid esse cap. 1. v. 1.

Dicam? Pacem ejus, quâ melius nihil est.

Cur dare vult ipsi Sponso oscula? Nemine ab illo cap. 8. v. 1.

Speranda est quoniam gratia, vita, salus.

Magnificis verbis quæ predicat, UBERA Sponsi, cap. 1. v. 3.

Quid sunt? Infantes aspice certus eris.

A 2

Matriæ

Mater ab uberibus nutritur blandus ut infans,
Pellit & inde famem, sistit & inde sitim:
Inde etiam, lacrymas quod tergat, nobile nectar
Attrahit, & siccas quod det habere genas:
Sic ab Evangelij uberibus pendemus homilli,
Seu nobis detur vivere, sive mori.
Inde quod ad vitam est nobis haurimus, & inde est
Adversus mortem certa medela malam.

cap. 7. v. 13. Sat dictum. Sed cur sua Sponso sponsa daturam
UBERA promittit? qualia at illa putem?
Sunt ea, sunt fructus fidei salvantis. Eosdem
Promittit Sponso se dare velle suo.
Illi qui possit dare quicquam Sponsa? Dat ejus
Quod membris, Ipsa nempe dat. Anne tenes?

cap. 7. v. 11. Sat bene. Cur vero Egrediamur, dicit, in agros;
Illic nostra tibi haec ubera, Sponse, dabo?
Per villas & agros pax designatur: ubi illa est,
Est ibi commoditas multa juvare pios.

cap. 1. v. 3. Quod nam Sponsi illud NOMEN, quod Sponsa tot
Vnguentis longè ponit odoriferis? (ante
Concio de CHRISTO est. Quae summa illius? Is ipse
Est DEUS aeternus: conditor omnipotens:
Propter nos homines descendit ab aethere: nostram
Assumpsit carnem: crimina nostra tulit.
Morte sua nobis amissam restituit rem:
Ad patrem placidum rive paravit iter.

Vita

Vita in eo nobis eterna est: nos regit idem

De superis, vivi donec in orbe sumus:

Ad se nos recipit, cum nos hac deserit aetas,

Si tamen in nostro est pectore vera fides.

Hoc nomen Sponsi nostri. Tu pluribus illud

Descriptum in verbi codice quere DEI.

Surgere cur Sponsam jubet, & properare be- cap. 2. v. 9

Sponsus? cum lento nempe sit illa gradu. (nignus 10. 31,

Donec in hac carne est, stimulis opus acribus illis

Et monitis variis, Surgit ita & properat.

Interdum querit Sponsum ipsamet anxia, Quando cap. 1. v. 17

Hoc fit? cum vitam sub cruce tristis agit. cap. 3. v. 10

cap. 5. v. 6

Cur Sponsum laudat laudis nullius egentem?

cap. 1. v. 10

Hisce suam ostendit laudibus ipsa fidem.

Quae vox illa suum CHRISTUM cum dicit Ami- ca. 2. v. 16.

Sinceri affectus, mentis itemq; bona. (cum? cap. 6. v. 2.

cap. 7. v. 10

Cur CHRISTO tota est Ecclesia pulchra? quid hoc cap. 4. v. 6

Illi quod maculam non ait esse? Refer. (est, 7.

In se nigra quidem est, quod idē certō ipsa fatetur: cap. 1. v. 5

Pulchra sed est Sponsi sanguine lota sui.

In Sponsa idcirco CHRISTUS sua dona coronat.

Ipsam cum tantae laudis honore vehit.

Cur tot eam titulis ornat: nam quae modo Sponsa est, ca. 4 v. 12

Mox soror est: Mox o, dicit, amica mea es. cap. 5. v. 8.

Mox dilecta audit: nonnunquam blanca columba est: & c.

Quid tot eam titulis Sponsae ego velle putem?

A §

Illis

Illis nimirum suum in ipsam ostendit amorem
Quem fando digne nemo referre potest.

cap. 8 v 7. Qualis ac ejus amor? Constans. Nec ab omnib. idem
Extingui poterit, fluctibus Oceani.

cap. 2. v 6. *Leva* quid & *dextra* est *Sponsi*? signatur iisdem

cap. 8. v 3. *Sors* adversa premens. *sorsq;* secunda juvans.
Si qua premit, tolerat; non murmurat illa; benigna
Si qua juvat, tollit non tamen inde caput.
Sorte in utraq; facit quod rectum Nempe quiescit,
Facturum & Sponsum scit bene cuncta suum.

cap. 2. v. 11 *Transit hyems: abire imber: adest suavissima Veris*

12. 1.

Gratia. & omnigenis floribus ornat humum:
Turturis auditur vox: grossos ficus amœna
Protulit, & gemmas Vitis ubiq; suas.
Emittunt illæ gratum ad nos prorsus odorem:
Hæc quid significant talia, scire volo!
Tempora significant felicia Sunt ea quæ nam?
Cum sincera Dei dogmata rite sonant:
Ad CHRISTI unius quando sese oscula certant
Incurvare homines: crescit ubiq; fides:
Apparent fidei fructus: silet hæresis: error
Tollitur: impietas dat scelerata fugam.

cap. 2. v. *Quis labor est illo Sponsæ sub tempore? Surgit,*

10. 13.

cap. 2. v. 14. *Adq; suum Sponsum nil remorata venit.*
Quid veniens CHRISTO Sponso offert illa? Decorã
Vsq; adeo faciem, quam petit ipse, suam.

Hæ

Hæc, quid designat facies? opera omnia, verã
In CHRISTUM fiunt, quæ mediante fide.

Cur Sponsæ vocem laudat? Quia CHRISTUS in illa
Omnia, non alios prædicat illa procos. (est
Hunc solum vult esse suum, solius & hujus
Perpetuum felix esse in amore cupit.

cap. 2. v. 14

cap. 4. v. 11

cap. 8. v. 13

Cur Sponsæ prohibet CHRISTUS turbare quietem?
Ejus id immenso motus amore facit.
Illud nî faceret CHRISTUS, fecisset & ante,
In totã nusquam pax foret eade DEI.
Imò jamdudum nulla usquam Ecclesia toto
Esset in orbe super, vi Satanae atq; dolis.

cap. 2. v. 7

cap. 3. v. 5

cap. 8. v. 4

CHRISTUS delicias habet inter LILIA. Quæ nam
Lilia Sponsa velit, dic mihi, quasve ROSAS?
Qui florent pietate homines intelligit, & qui
Salvifica fragrant, per benè facta fide.
In medio istorum est CHRISTUS, dum tempora
Omnia cõponat summa aliquando dies. (mundi

cap. 2. v. 17

cap. 6. v. 2

Tunc quid erit? Rerum adversarũ terminus umbris
Errorum ac scelerum meta futura sua est.

Sat bone LECTOR habes. Quæ restant cetera, Ma-
Patronis dicam Præpositisq; meis. (gnis





REVERENDIS

& Clarissimis Viris, Ecclesiarum in
Illustrissimo Ducatu Saxo-
Coburgico

SUPERINTENDENTIBUS

Dn. IOANNI GERHAR-
DO S. S. Theol. Doctori, Eccl. Cobur-
gensis Superintendenti Generali;

Dn. M. JOANNI HELDERO,
Pastori & Sup. Ecclesiae Gothanae,

Dn. M. JOANNI FABRO, Pasto-
ri & Sup. Ecclesiae Eislebensis,

Dn. M. SEBALDO KRUG, Pasto-
ri & Super. Ecclesiae Heldburgensis,

Dn. M. NOHAE OTTONI, Pastori
& Super. Ecclesiae Romhildensis,

Simul

Simul etiam

Dn. M. JOANNI FABRO, Illu-
strissimæ aulæ COBURGENSIS THEOLOGO
sincero & fideli;

Dominis, Patronis, &
Fautoribus meis perpetua
oblervantia hono-
randis

*Gratiam DEI & salutem, felicesq; in
Sacrosancti officij laboribus suc-
cessus ex animo pre-
cor.*





REGIUS planè liber est,
Viri Reverendi, & Claris-
simi, quod in Sacrosanctæ
Scripturæ Canone CAN-
TICUM CANTICO-
RUM appellatur. Author ejus Spiritus
Sancti ductu ac dictamine SALOMON
Rex est, qui sapientiâ inter tot orbis sa-
pientes parem nullo tempore habuit, id
quod vel ex hoc, & duobus alijs, qui re-
stant, libris ejus manifestò apparet. Et
hic quidè libellus Regio nomine vel ob
unū hoc insigniri dignissimus est, quòd
in se contineat, non quæ in gynæcèo suo
sedens filia Pharaonis, aut alij cuiquam,
ex tot dilectis uxoribus, in aurem dixe-
rit: sed quid Regum ille Rex Maximus,
& dominantium Dominus, **CHRIS-
TUS**, cum Ecclesia, quam sibi foede-
re per-



re perpetuo desponsavit, locutus sit, i-
mò quotidiè, donec in hoc mundo dies
suos per varios casus, per tot discrimina
rerum, transigit, ad perpetuam ejus con-
solationem loquatur. Et sunt illa ipsa
tantorum amantium colloquia verè Re-
gia, hoc est, ejusmodi, ut ne in Regum
quidem maximorum aulis aliquid βασι-
λικώτερον inveniri possit. REGI nostro
Sponsa sua tota pulchra est, nullam in ea
maculam videt: ad eam desiderium ejus
est: habet eā pro vinea odorifera, & hor-
to concluso, in quo quotidiana sui favi
ac mellis, suiq; vini & lactis convivium in-
struit. SPONSA Ecclesia vicissim in o-
mnibus ad Sponsum suum sermonibus
ejusmodi profert, quæ de sua fide inte-
tegra, illibata castitate, amore ardentis-
simo, purissimoq; affectu in ipsum te-
stantur: Eum enim simpliciter cæteris
omnibus hominibus & quicquid in mun-
di uni-

di universi systemate pulchrum est, præ-
ponit: amore eius languere se fatetur:
cum eo omninò esse vult: sine eo nihil
quidquam illi dulce est: eum quærit an-
xiè; ab eo invento oscula petit, & sua ipsi
promittit: cum eo in agros, ad villas, ad
hortos, ad vineas vult egredi, & com-
morari ibidem. Hæc, inquam, CHRIS-
TI & ECCLESIAE colloquia planè
sunt regia, & Regis sapientissimi cala-
mo dignissima. Si quis est (exclama-
re rectè hoc loco possum) qui ad exem-
plum Reginae Sabæ sapientiam Salo-
monis audire desiderat, audiat is, legat,
enucleet, & meditetur, quæ in hoc Can-
tico, sub persona CHRISTI & ECCLE-
SIÆ exquisitissimis verbis decantat. Fe-
cerunt hoc suis temporibus Hilarius,
Hieronimus, Beda, Alcuinus, Remigius,
Anselmus, & præ cæteris nominandus
Bernhardus; cui cum in articulo justifi-
catio-

rationis plus lucis divinitus esset quam
alijs, illū in hoc libro sub perpetuis qui-
dem allegorijs descriptum adinvenit, &
in Homelijs suis ad oculum demonstra-
vit luculenter. Et siquidem articulus is
de justificatione in Ecclesijs nostris pro
arce munitissimā totius doctrinæ ac re-
ligionis Christianæ verè habetur, quā
stante integrā, territæ conscientiæ quò
fugiant, & unde consolationem petant,
semper habent: Sapientissimam hanc
Salomonis Theologiam exosculamur
meritissimè. Nec nos ab hoc absterreat,
quod Rex ille senescēs nō nihil deliravit,
& Doctor egregius egregiæ suæ doctri-
næ discipulus tunc non fuit: Dominus n.
cui stetit ac cecidit, erigere eū, & à mulie-
rū exoticarum amoribus ad sua oscula
reflectere potuit. Fortassis agnitā gravi-
tate peccati sui ad unguentū illud effu-
sum, NOMEN CHRISTI, refugiū suum
habuit, & æternæ vitæ odorē inde hausit.

Verū

Verùm Salomonis Sole occidente mis-
so, revertor ad Orientem ejus, h. e. ad sa-
pientiam in Cantico hoc cōprehensam.
Ea cum pulcherrima sit, & ipsa consola-
tionis Evangelicæ UBERA quovis la-
cte ac melle dulciora dilaudet & exhibe-
at nobis me ad hanc ejus Poëticam *μετρί-
φρον* facile permovit, ad quam tamen
currentem etiam stimulos habui à Re-
verendo quondam & Clarissimo Viro
Domino MELCHIORE, Ecclesiarum
nostrarum in hoc Illustrissimo Saxo-Co-
burgico Ducatu, & nomine & re EPI-
SCOPO, qui superatis omnibus vitæ
humanæ miseriis ad CHRISTUM haud
ita pridē, cum pace egressus est. CHRI-
STUS JESUS, qui vocem Sponsæ suæ in
hoc ipso cantico approbat, dulcem sibi
vocat, eamq; omninò audire vult, meum
hunc sacrum laborem (credo) non a-
verfabitur.

Ad

Ad VOS autem, Viri Reverendi, Cla-
rissimi ac humanissimi; amici præcipui
CHRISTI Sponsi nostri, mei verò Præ-
positi, Patroni ac benefactores hono-
randi, Musæ hæ meæ Christiades anhe-
lant: ad Vos pleno gradu eunt: Vobis
se dedicant & offerunt debitâ reveren-
tiâ: à splendore deniq; Vestro non nihil
lucis sibi pollicentur certò Pro testibus
igitur & tesserâ sinceri mei in Vos omnes
affectûs, ut suscipiatis eas, animis bene-
volis, oro obtestorq; maximè. CHRI-
STUS Vos omnes & Vestri similes, ad
nominis sui sacrosancti gloriam, glorio-
sissimæq; Sponsæ suæ consolationem,
quam diutissimè vivos & incolumes
conservare dignetur. AMEN. Wan-
genhemæ. Calend. Aprilis Anno
M. DC. XVI.

Vestra Reverent & Dignitat:

Studiose addictissimus

Andr. Henæus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Fragmentary text visible on the right edge of the page, including words like "olio", "E", "I", "Al", "La", "Id", "Vng", "Vt", "S".



CANTICI CANTI-
CORUM

CAPIT I.

Ecclesia ad IESUM
CHRISTUM Sponsum
suum.

IN CHRISTO est quicquid desidero. Porrigat oris
Oscula blanda, meus Sponsus is, oro mihi. 1.

Alterius facio nihil oscula. Quae mihi praebet
CHRISTUS, non digna laude ego ferre queo. 2.
Lactea quod tenero infanti sunt ubera matris:
Quod sunt defesso mollia vina seni:

Id tua Verba mihi. Sed quid? dulcedine lactis
Exsuperant nectar, nectar & omne meri. 3.
Vnguina non ita demulcent fragrantia nares;
Effusi non est Nardi ita suavis odor,
Vt NOMEN verbumque tuum. Quid mirer, ob istud
Si te virginens diligit usque chorus?

B

Tu

Tu me, tu trabe me post te, dextraq; prehensam
Me tecum, visum quo tibi cunq; rade.
Nunquam tempus erit, tibi quò comes ire recusam,
Implico me manui fortiter ecce tue!
Quid precor hæc autem? Me jam dum ductitat in unum
In recti mens hic Rex penetrare sui.
Ut mea in ipsius thesauris lumina pascam,
Et veniant animo gaudia viva meo.
En faciunt, (quorum memores sumus) ubera verbi,
SPONSE, tuis, que sunt nectare grata magis,
Ut te lætitiâ simul exultemus in uno,
Solventis quovis pectora nostra metu.
Qui pietate valet pariter, te diligis idem:
Non pius est qui te non reverenter amat.

5. Nigra quidem jam sum, sed amabilis. Hoc Solymæis
Sicire volo Dymphas vos, meminisse volo.
In Cedari videri duxisse mapalibus ortum:
Visenda in facie est tanta nigredo meâ.
At refero interno splendore aulicæ, quibus Rex
Ipse suâ Salomon magnus in æde fuit.

6. Hunc istum verò propter me nemo nigredinem
Despiciat! causas audiat antè meas.
Sum nigra, sed non hoc mirum. Me torruit ille
Sol lucisq; mee, Sol crucis ille mee.
Iustitiæ lucisq; mee Sol CHRISTUS. In illo
Dum maneo, mecum dum manet ille simul;
Omnis nigrescit propria mihi gloria formæ,
Ex factis splendet gratia nulla meis.

Sal

Sal: crucis est fratrum flagrans nimis ira meorum:

Ille in me rapidas torquet agiturq; faces,
Vinea quod non est ea custodita sat, illi
Commisam fidei quam voluere met.

O SPONSE efflictim quem mens mea diligit unum.

7.

Quo nam queso tuum pascis in orbe gregem?
Quis locus ille tuæ est, quâ mundi in parte quietis,
Cum jam sol medio librat in axe diem?
Ignaram si me finis huc discurrere & illuc
Dum te mole gravis pressa requiro crucis;
Declinare queam male provida forsitan ad illos,
Nulla tui quibus est tradita cura gregis:
At splendente tamen SOCIORUM voce TUORUM
Se mundo (insandum) vendere ubiq; solent.

CHRISTUS SPONSÆ EC- clesiæ responderet.

O una ante alias omnes pulcherrima virgo,

8.

Nescin' quo Sponsam me reperire queas?
Egredere, atq; ovium observa vestigia: usdem
Scilicet hac iter est, quo cupis ire, tuum.
Quin & cornigeros ad pascua gnauiter hœdos
Mitte tuos. Tibi non sit labor iste gravis.
Pastorum nec te impediatur vicinia eorum,
Vna suam quibus est pascere cura gulam.

O cui te similem, mea Sponsa oculissima, dicam

9.

Quæ formosa sat est, & sat amica, rei?

B 2

Men-

*Mente alacri turmas Equitum Salomonis ad equas.
Et currus Regis mille Parethonij.
Hostes te oppugnant, non expugnaris ab illis:
Te contra inferni nil valet atra cohors.*

10. *Quam tibi multa genus roseas exornat in auris!
Aureolo collum quam tibi torque nitet!*

11. *Quin ex argento posthac auroque parata
Nostra tibi adjiciet munera plura Manus.*

Ecclesia Sponsa.

12. *Cum Rex ergo meus sic ad me deinde rediret,
Solveret & curas hac ratione mihi:
Tunc, quas cum lacrymis fudissem, interque querelas,
Aera conspexi transabuisse preces,
Atque fuisse DEO fragrantis ad instar odoris,
Quem Tyriis spargit Nardus ubique jugis.*

13. *Præmyrrhæ, mea qui discriminat ubera, fasce,
Sponsus in amplexu est longiter iste meo.*

14. *Vva quod Engaddi in Vinetis Cypria: SPONSUS,
Dilectus meus hic id mihi pressus idem.*

CHRISTUS AD ECCLESIAM Sponsam.

15. *Ecce decens vultu, mea dulcis amicula, tota es:
Tota decens oculos corpore es ante meos.*

Qualiter

*Qualiter ex oculis decus est insigne columbis;
Sic decus ex oculis splendet honosq; tuis.*

Ecclesia ad CHRISTUM Sponsum.

Imò tibi potius summa excellentia formæ est. 16.

*O SPONSE, ò oculis semper amande meis.
En nostri facies lecti est blandissima! quam Tu
Illum purpurei Veris honore beas!*

Nostras, quas laceras nuper nimis esse putabam 17.

*Cedrina sustentant undiq; tigna, domûs.
Sunt ex aëriis laquearia cuncta cupressis,
Qui metuam, ne sic structa aliquando ruant?*



CAPUT II.

CANTICI CAN- TICORUM.

CHRISTUS SPONSUS.

*A*spicitis viridis pulcherrima gramina campi. 1.

*Quæq; suo profert cetera terra sinu?
Ut sunt pulchra! novo quàm rident omnia vere!*

*Oblectant animos quotq; quibusq; modis?
At flos campi ego sum. Campi omnis gloria in uno
Me stat. Me in toto syavus orbe nihil.*

B 5

Lilium

Lilium odore suo miro quod fragrat in imis
Vallibus, hoc ego sum. Vallis amica mihi est.

2. At mea amica rosa est similis, quæ nata tot inter
Spinæ, illarum sentit ubiq; minas.

Pungitur a propriis miserè gnatabus, At illæ
Sunt Spinæ. Ista mihi seu rosa Verna placet.

ECCLESIA A D. CHRISTUM Sponsum.

3. Flos tibi sum Viridis? Mihi Tu, mi Sponse, vicissim
Arbor es, & pomis utilis illa suis.

Cetera sylvarum sub te sunt ligna, Placebit
Arbor nulla animo, Tu nisi sola, meo.

Quàm mihi dulce ejus latitare decenter in umbra,
Cum sit nunquam alibi pax & amica quies!

Quàm sapiunt fructus ejus mihi! quamq; palato
Melle, meo, grati sunt magis atq; savo?

4. Is Sponsus: Rex ille meus, dulcedine mira
Ut mentem imbueret suaviter inde meam,

Non mihi Poeta sui tantùm (ô poeta aurea!) verbi
Delibanda, suâ pro bonitate dedit:

Me sed in ipsa simul duxit penetralia, tale

Quæ vinum, hocq; ipsum nobile nectar habent.

Et velut in mundo, cum bella inimica geruntur,

Miles signa palam parte ab utrâq; videt.

Signa parant animos volitantia: perditæ ferre
5

Res est, quàm primùm signa jacere vident.

Sic ad me erexit VEXILLVM CHRISTVS, Amorem,

In me quo totus flagrat ubiq; suum.

Quale illud? constans, fixum, immutabile: nunquam

Ad sese id retrahit: nocteq; dieq; volat.

Hoc oculis fidei intueor, semperq; sub illo

Militiam istius vitæ ego duco iubens.

Ejusdem multùm dum languet amore pudico,
6

Non me dura necis fata subire sinit:

Sed flores, quæis me possit mulcere, salubres,

Malaq; quæis recreat me benè, semper habet.

Sentio ubiq; manûs ejus, Capiti (ecce!) sinistram

Substernit, dum me vult tolerare, crucem.

Sed simul & dextra in nostris amplexibus hæret.

Deliciasq; mihi fertq; feretq; suas.

CHRISTUS SPONSUS.

58

Per capreas igitur cervasq; in montibus istis
7

Vos Solymæ adjuro filie ab urbe sacrâ.

Vestrûm ne qua meam interea interturbet amicam,

Dulcia dum sub me tempora pacis agit.

Nemo vel extremi digiti tactu excitet illam.

Dum se non somno corripit ipsa suo.

Ecclesia Sponsa.

Hæc vox ista mei dilecti est! Novimus illam:
8

Auditu nihil hæc gratius esse potest.

B 4.

Ecce

*Ecce venit saliens altis in montibus! Ecce
Transiliens colles jam venit! Ecce venit!*

9. *Quàm capreæ similis meus is dilectus? ut ipsos
Hinnuleos superat, dum venit, Ecce! gradus!
Prestò est, ajo, quidem: sed stat post septa, viderò
Ad lubitum possit quò minus ille meum.
Cernitur interdum, nec enim nego: non secus autem
Ac quæ per clathros cernimus atq; vitrum.*
10. *Quin & respondens mihi, Surge, ait; —
CHRISTUS SPONSUS.*
11. *Formosa: huc ad me dulcis amica veni.
Huc ades! ille tuæ jam jam crucis atq; laborum
Transiit (heu quàm te dudum ea laesit!) hyems.
Imbres diffugiunt gelidis Aquilonibus æti:
Florum perpulchrè gratia pingit humum.*
12. *Veris blanda redit facies: Vox turturis isto
In nostro auditur noctè dieq; solo.*
13. *Et, quod præsentis nota sit certissima Veris,
Protulit en grossos ficus amœna suos!
Iamq; dedere suum gemmantes vineæ odorem:
Et quanam placidi gratia veris abest?
Rumpe moras igitur dulcis mea amicula; ades dum,
O formosa animo sola reperta meo.*
14. *Tu, quæ spectata tibi nota cœramina petre,
Dum tibi in hoc mundo est vita, columba colis:*

Tu


Tu cui precipites domus hic sunt una salebra,
Da faciem videam coram aliquando tuam:
Da tua saepe meis vox auribus insonet, illa
Sive velis grates dicere, sive preces,
Voce tua quid enim, Sponsa o mea, dulcius? illa
Quid facie esse tua possit amabilius?

Ecclesia Sponsa.

Interea astutas vobis comprehendere vulpes 15.
Cura sit & certus qua pote cunq; labor.
Illas nimirum vulpes agitate minores,
A quibus haud tuta est vinea nostra satis.
Illa suas quoniam gemmas hoc tempore trudit,
Iam metuenda fera est; nam nocitura fera est.


ILLE meus meus est: meus ille manebit amicus, 16.
Ipsa egomet Sponsi sum maneog; mei.
Cumq; meo Sponso, qui inter fragrantia belle
Lilia se pascit, vivere dulce mihi est.

Ultima dum veniat presentis vespera mundi, 17.
Mitior & supero spiret ab axe dies.
Verum, Sponse mihi dilecte, revertere: Amice
Huc tibi complacere, queso, referre gradum,
Sume pedes capreae: celeris planta alite cervae,
Montibus in bifidis hinnulus esto levis.



B 3

CA.



CAPUT III.

ECCLÉSIA SPONSA.

1. **O**mnia noctis erant me circum, & dulcia somni,
Munera securè jam capienda mihi:
Anxia querebam, sed nox & lectus habebant,
Nil ejus: labor & perditus omnis erat.

2. Surgam igitur, dixi: Surgam plateasq; per omnes
Vrbis eum pergam quærere porro mihi.

3. At nihil his etiam impensis operû omnibus actum est:
Haud sese his oculis obrulit ille meis.
Facta ibi nocturnis custodibus obvia; cordis
Vidistisne mei, dixi ego, delicias?

4. At paulum postquam jam prætergressa fuissens
Delicias reperi (ô gaudia quanta!) meas.
Sic ergo inventam nolo dimittere rursus
Vllo (namq; ejus tangaso amore) modo.
Quàm prius ille meæ; duce me, sese inserat ad
Matris, & inum illic vel penetrare petat.

CHRISTUS SPONSUS ad adolescentulas Hierosoly- mitanas.

5. Per capreas igitur, cervasq; in montibus istis
Vos Solymum adjuro, filiae, ab urbe sacrâ.

Vestrum.

Vestrum ne qua meam place inturbet Amicam.
Tempora dum sub me leca quietis agit.
Nemo vel extremi digiti tactu excites illam,
Dum se non somno corripit ipsa suo.

Amici Sponsi ad easdem.

Et qua sedilla, suo quem deserti avia pulchre
Cernimus assensu jam superare procul;
Ceu recto exigitur sublimis in aere cursus
Fumi, quando silent ventus & aura, vapor?
Illam nempe puto, cujus fragrantia myrrhe
Ac thuris lacrymas exuperare potest.
Cujus odore nihil prestantius, arte Magistra
Pharmaca qui tractant omnia, prorsus habent.

ECCLESIA SPONSA.

O Majestatem lecti Salomonis! ab illo
Quale decus fulget! quanto is honore nitet?
Sexaginta illum stant circum Heroes in armis
Forti ex progenie sancte Iacobe sua.

Vnusquisq; sua dextra rotat impiger enses
Prælia ceu jam jam belli ineunda forent.
Quisq; femur lingit gladio formidine noctis,
Quæ Regi possit ferre pericla suo.

O & pilenti ejusdem regalis honores?
Id factum ex Libani dulci virente Cæro est.

Ex argento ejus tot stant magnæ arte columna:
Ex auro stratum nobilitate riget.

Purpure-

Purpureus verò est adscensus ad illud: Amor
Omne pavimentum monstrat ubiq³ notas.
Idq³ decus propter Solyméâ ex urbe puellas,
Immerso quarum flagrat amore, tenet.

Amici Sponsi ad universam turbam fidelium.

U. *Ite foràs, simul ite foràs Nate ergo Sionis!*
Hic res vestra agitur. Sic decet. Ite foràs.
Et coràm spectate ejus Salomonis honores,
In toto nullo quis habet orbe parem.
Quàm pulchrè fulget diademate! Scilicet illud
Rex ex dilectæ munere matris habet.
Hoc hoc mater eum fecit splendore coruscum,
Quando sui faceret pacti marita tori.
Illâ luce sui cordis, quâ promeret idem
Iubila de Sponsæ perpete amore sue.



CAPUT IV. CHRISTUS AD ECCLESIAM Sponsam.

I. *E*cce tibi quenam, mea amica, potentia formæ est!
O quanta est frontis gratia, honosq³ tuæ!
Ut tibi pulchrè oculi rutilant! fulgore columbas
Aërias dico vincere posse suo.

Inter

Inter Casariem dum stare videntur ijdem
Per colla effusam, quamq; habet aura levis.
Illa sed ipsarum capitis coma ad instar habetur
Caprarum pulchri, lata per arva, gregis.
Cui Gileadini pastor sub vertice montis
Detondit molles, forpice ritè pilos.

Qui tibi sunt dentes, nullius cæde rubescunt,
Exitium nulli triste parare queunt.
Sunt gregibus similes ovium, quæ è flumine puro
Quo sua laverunt vellera, jam redeunt:
Quæ geminâ laudant omnes se prole quotannis
Nec se, quæ fructum non ferat, inter habent.

Coccineum referunt filum tua labra: decorus
Omnis sermo tuus: blanda loquela tibi est.
Dulce genæ tibi, Sponsa, rubent, cinctæ undiq; pexo
Crine. Vocare illas punica mala juvet.

Speculo tuos humeros, & eburnea colla? videntur
Eximplo eximij turris habere decus.
Davidicæ turris nimirum, ubi multus in armis
Excubias belli tempore miles agit.
Fortia quam mirè sua propugnacula firmant,
Ne Solymæ muros hostis habere queat.
Mille ubi dependent scuta, & quæ bellica plura
Magnanimi in bellis arma tulere Viri.

Nec tua præteream tacitus bina UBERA, Sponsa:
Sunt mihi sunt geminis æqua ea capreolis.

Capreolis

Capreolis inquam geminis, qui mollia carpunt
Lilia cum Violis suavibus atq; rosis.

6. Ultima dum veniat presentis vespera mundi,
Mittior & supero spiret ab axe dies.
Myrrheus es mihi mons: collis mihi thuris es: ad Te
Ire lubet: tecum vivere dulce mihi est.

7. Quantumcunq; tuum est, o dulcis amica decorum est:
Non hilum in toto corpore labis trabes:

8. De Libano, me a Sponsa, veni. Libani ardua linquens:
Hac ades! hucq; tuam corripe queso viam.
Prodi age dum excelsa de vertice montis Amant;
Prodi a Senniris Hermonisq; jugis.
Hospitia ab post te crudelia mitte leonam,
9. Pardorum stabulis mens sit abire tibi.

Tu mihi me, Soror o, sponsa & suavissima, non clam
Prædaris: sensus tu rapis una meos.
Visq; ea tanta uni est Oculorum nempe tuorum,
Torquis & unius, colla per ista, tua.

10. Ut tua, Sponsa, soror, sunt ubera pulchra! Falerni
Dulcia sunt vini muner a, ad illa nihil.
Vnguia quem faciunt gratum tua semper odorem;
Vel reliquos omnes vincit aromaticos.

11. Destillant tua labra favos, o mellea Sponsa:
Et tibi sub lingua est nobile, lacq; tuâ.
Vestibus hisce tuis nitidis fragrantia mira est.
Ad quam nil Libani est montis amicus odor.

O Soror

○ Soror, o mea Sponsa loquar plura? Instar es hortē 12.

Omni munitus qui bene parte sui est.

Fons eadem firmè obsignatus es: esq; scatebræ

Sub claustris latitans fortibus atq; seris.

Hortum te dixi: sed amœnus es hortus: in illo 13.

Crescit, si quidquam crescit in orbe boni.

Punica mala vides Cypriis cum fructibus, & cum

His Nardi spicas, filaq; flava croci.

Cinnama cum calamo, & quæ cætera odoræ præalti 14.

In Libani crescunt undiq; ligna iugis.

Seu pinguis Myrrhæ lacrymas, aloëve requiras.

Aut quidquid suavis gratiz odoris habet.

Hortorum fons es: Vivarum fons es Aquarum, 15.

Quæ strepitu ex Libano dulce sonante ruunt:

Iam tu surge mihi Borea! tuq; Auster ades dum, 16.

Triste quid horri sono munere uterq; sonans.

Vos meus hic, vos hic dudum desiderat hortus,


Vestraq; diverso à cardine flabra vocat.

Quâ data porta patet Vobis divinitus, illum

Perflate, ac cristes ore boate minas.

Nam sic grata fluent ibi us aromata, sic &

Quem spirat, fuerit gratior ejus odor.



CA-



CAPUT V.

ECCLÉSIA SPONSA.

1. **I**Nterea ergò suo veniens sese inferat horto
ILLE mihi summâ junctus amicitia.
Et quas ille sibi longo educat ordine ibidem
Acceptas habeat diripiatq; dapes.

CHRISTUS SPONSUS.

2. **V**eni age, jam veni, Soror ô suavissima, in hortum,
Quo me mota mei nempe ab amore, vocas.
Iam myrrhamq; meam decerpsi & aromata dextre
Cetera, diripui mella favumq; meum.
Iam mea labra meo vino presente rigavi:
Extinxiq; meo jam benè lacte sitim.
Et jam vos etiam (sic fidos hortor amicos)
His epulis moniti ritè vacate meis.
Indulgete simul mecum, quæ misceo, poclis,
Tediaq; infuso solvite vestra mero.

Ecclesia Sponsa.

Persuadent oculis nocturna silentia somnum,
Cum sunt strata meo languida membra tora.
Interea insomnem verò mens anxia noctem
Transigit, & nulla sciz requiete frui.
Namq; mei Sponsi nunquam non audio vocem,
Quâ sibi claustra domus me reserare jubet.

CHRISTUS

CHRISTUS AD ECCLESIAM
Sponsam.

Pande fores, dulcis mea amicula : cardine moto
O soror hasce tuas pande, columba, fores.
O mihi spectatâ ante alias probitate puellas,
Que nunc deinde mora est? excute poste seram.
Iam nox atra polum involvit, viden? Vndiq; roris
Nocturni caput hoc nempeliquore madet.

ECCLESIA SPONSA.

Certa cupido mihi est : tenet & me certa voluntas
Dulcis amice tibi mox reserare fores :

In lecta verum, posita jam veste, quiesco,
Induar anne iterum? qui pote iam subito?
Quorsum lota pedes nuper putealibus undis
Inquiner immundo rursus, AMICE, solo?

Dumq; ita lenta moras traherem, nec protinus ejus
Panderem ad imperium Sponsa vocata fores;
Ipsemet inserta (nam forte foramen habebat
Janua) me cœpit tangere parte manûs.

Hic ego mente metu totâ perterrita surgo
Laxatum Sponso ferrea claustra meo.
Ecce autem myrrhæ lacrymas stillare fluentes
Has (ô rem miram!) sentio ubiq; manûs.
Per digitos liquor ille meos manabat abundè,
Pessulus attractus vix ubi totus erat.

6. *Ut parvèere fores, meus ab discesserat ille*
DILECTVS. Quo nunc dixi ibi, NOSTER abis?
Mox, & ob alloquium ipsius mihi (triste) negatum.
Exanimata gravi pœne dolore fui.
Hec quanto studio quæsi pectoris illas
Delicias, animi gaudia & illa mei!
Nequitquam, Ingeminans iterumq; iterumq; vocavi
Dilectum: reculit sed nihil ille mihi.

7. *Dum quæro, & quæror infelix, ex incenibus altis*
Et plateis vigiles arma inimica ferunt.
Dira fremunt: ledunt non me uno vulnere: poplò
Diriproq; mihi præmia certa petunt.

8. *Verùm illi valeant! Ad vos me verto, PVELLÆ*
Ex Solymis. Vobis pauca ego dicta dabo.
Vos imò, Vos adjuro: si forsitan AMICVS
ILLE meus vobis conspiciendus erit.
Commemorate meos illi sidenter amores
Saucia quæis mens est & satis ægra mihi.
Adolesentulæ Hierosolymitanæ
ad Ecclesiam.

9. *Tu verò, ante alias mundi in systemate Nymphas,*
Tota decens vultu, corpore tota decens,
Dic nobis, qualis Sponsus tuus ille? quis ejus,
(Commemora nobis) frontis & oris honos?
Non etenim frustra nos te adjurasse putandum:
Illius haud frustra tanto in amore cales.

ECCLESIA SPONSA.

Que

Queritis? Ante alios mille est pulcherrimus unus: 10.
Cumque rubore nitet, cumque nitore rubet.

Præstat Ophyræo caput ejus ubiq; metallo: 11.
Cæsaries corvum pexa nigrore refer.
Triusq; ejus considero luminis orbes?
Quantus ab his, dico, fulgor bonosq; micat!

Ut decus ex oculis magnum atq; insigne columba 12.
Provenit, in liquidis quos bene mundat aquis;
Haud secus ambo meum comendant lumina Sponsum:
Lumina lota satis lacte, & aperta satis.


Quid dicam areolas quas pharmacopæus ad usus 13.
Mille suos plantat? Sunt ab odore suo;
Sunt & ab aspectu gratæ: Verum omnibus illis
Ante mei longè Sponsi ego pono genas.
Quæ myrrhæ stillant gratos sine sine liquores,
Sunt matutinis æmula, labra, rosis.

Aspicio teretis digitos illius? Et auræ 14.
Et gemmâ pulchrè multicolore micant,
Equiparat candore suo, quod ab arte magistra
Ambit Sapphiros nobile, Venter, ebur.

Confero marmoreis illius crura columnis, 15.
Quarum est ex auro divite fusa basis.
Non tanta est Libano Species: (nam singula quorsum
Enumero?) non est gratia tanta Cedris.

C 2 Guttu-

16. *Gutturare in ipsius mira est dulcedo, fluitq;
Inde mihi nectar nobile, melq; merum.
Talis is, O Nymphæ Solymææ; talis amicus
Est meus. Et verè est (novi etenim) ille meus.*



CAPUT VI.

Adolescentulæ Hierosoly- mitanæ.

QUO nam dilectus tuus ergo recessit amicus,
Ille? refer quoniam degit in orbe loco?
Dic o fœminei pulcherrima gloria sexûs:
Et nobis illum est quærere cura simul.

ECCLÉSIA SPONSA.

1. *Vultis scire? Suam properans discessit in horum;
Cui magnum à multo est flore & odore decus.
Illic nimirum nares & luminapastum,
Decerptis violis puniceisq; rosis.*

2. *Est meus usq; adeo quem diligo: meq; vicissim
Affectu ipse pari nuncupat esse suam.
Horios interea colat, & fragrantibus illic
Pro lubitu sese pascat aromatibus.*

CHRISTUS SPONSUS.

3. *Thirzam te dico verè exequare potentem,
Si formam specto, dulcis amica, tuam.*

Specti

Speculo venustatem, & considero frontis honores
Vrbs conferre tibi se Solymea nequit.
Illa eadem, veluti fulgens exercitus armis,
Sic animos reprobum terrificare soles.

A me queso tuos oculos averte nitentes:
Ille mei namq; est pectoris inde calor.
Formosa illa tui capitis coma ad instar habetur
Caprarum pulchri, leta per arva, gregis.
Cui Gileadini pastor sub vertice montis
Derondit molles forpice ritè pilos,

Qui tibi sunt, dentes, nullius cæde rubescunt,
Exitium nulli triste parare queunt.
Sunt gregibus similes ovium, quæ è flumine puro,
Quo sua laverunt vellera, jam redeunt.
Quæ genitâ laudant omnes se prole quot annis:
Nec se, quæ sterilis manserit, inter habent.

Dulce gene tibi, Sponsa, rubent cinctæ undiq; pexo
Crine. Vosare illas Punica mala volo.

Sexaginta intus Reginae dulcia mecum
Legitimi servant fœdera pacta tori.
O. Toginta alias ejusdem spontè cubilis
Sustentat socias regia nostra domus:
Mitto puellarum reliquam longo ordine turbam
Quas omnes numero nemo referre potest.

C 3 Postha.

8. *Posthabitis illis tamen omnibus, omnis in Vna
Hereo TE: Tu fers gaudia sola mihi.
Tu mea duntaxat mihi semper grata Columba es
Integritate vales unica, felle cares.
In te summa tuae matris flat cura; voluptas
In te unam matris mentem animumq; rapit.
O quam te Isacida dicunt uno ore puella
Felicem, quo te tempore cunq; vident!
Quae tibi non texunt Regina encomia, quae non
Regalis foete, caetera turba, tori!*

9. *Quarunt: Ecqua illa est vultu spectabilis aureb;
Eoô quali lucifer orbe rubet?
Quae candore suo nocturnae cornua Luna,
Et Solis medio vincit in axe jubar:
Quae metuenda magis turbis imbellibus ipso
Bello est? De te inquam talia scire volunt.*

ECCLESIA SPONSA.


10. *In nemora exieram laetis felicia pomis
Visum delicias veris in hisce novi:
Stirpes nimirum in salientis margine rivi,
Quam virides pergant tollere ad alta comas.
Nunquid se leuè trudent in palmitè gemma,
Et quam spem faciant Punica mala mihi.*

11. *Verùm me, cum non fieri quid tale putarem
Posse, rotis currus regius inde rapit.*

CHRISTUS SPONSUS.

O SP.

O SVLAMITHA redi: Sulamitha revertere cursu
Converso: quâ nos sic ratione fugis?
Huc ades, usuramq; mihi concede benignam
Aspectûs (flagro namq; ab amore) tui!
Vos autem, ô Socij, quid in hac Sulamithide nostrâ
Usq; adeo cupitis cernere? ferte mihi.
Quicquid id est tandem: castrorum, ego dico profectio,
Illam qui cernit, cernit & ipse chorum.



CAPUT VII.
CHRISTUS SPONSUS
ad Ecclesiam.

QVam te commendat tuus ipse ingressus! ut istos
Canadulos mollis cogit aluta pedes!
O virgo illustri sata Principe. Gratia formæ
Si quid laudis habet, multum agè laudis habes.
Si femorum aspicio juncturas hasce tuorum,
Dico illas gemmas esse profectò duas:
Gemmas, legit aquâ quas decolor Indus, & auro
Mentoreâ prudens nexuit arte faber.
Intestinorum medio quid ventre ligamen
Esse tibi dicam? cui simile esse rear?
Equiparat calicem (verè sic dico) rotundum,
Qui dulci semper spumat ad ora mero.
Quale tui dicam ventris decus esse, sub isto
Tam castigato pectore? subdubito.
Sed dicam. Simile est flaventis farris acervo,
Lilia quem cingunt undiq; mixta rosis.

3. Bina suum si quis convertit ad ubera vultum,
Hinnuli, ait, gemini sunt caprea illa levis.
Est sua forma etiam reliquis & gratia membris,
Corpore in hoc toto, mellea Sponsa, tuo.

4. Erectum tibi stat, ceu turris eburnea, collum:
Nil illo albidius, firmitus atq; nihil.
Hosce tuos oculos fulgentes sideris instar
Aspicio, inq; illis pascio tuendo meos.
Piscinis illos Hesbonis comparo, quae sunt
Non procul à porta limine Bathraeae.
Quale decus Libano est turris, quae celsa Damasci
Moenia prospectat desuper atq; domus:
Tale tua Nasus decus est & gloria fronti,
Turgidulas ornat sic tibi & ille genas.

5. Carmelum video, qui surgit in aëra, montem
Cum formam capitis cerno notoq; tui.
Caesaries capitis fragrans ceu purpura Regum est
Picta manu artificis, lecta suisq; plicis.

6. O faciem egregiam! Ex oculis quos spargis amores!
O quam civitatis dives es innumeris!

7. Quid de statura memorem? Solida atq; prealta est
Illa in Idumæis palma ut amœna jugis.
Vbera bina duos dicam verè esse racemos,
Vnde meri dulcis copia dulce fluit.

Quid

Quid moror illam autem palmam conscendere? dixi: 8.

Quid moror illius mox bonitate frui?
Sint tua pro pulchrè turgentibus ubera botris:
Nasus idem spiret mala quod Hesperidum.

Vina taum exaquet guttur generosa, disertos 9.
Que faciant socios ritè animosq; parent.

ECCLESIA SPONSA.

Tota in amore mei dilecti vivo: sed idem 10.
(Novi etenim) econtra flagrat amore mei.

Hinc ego; Amice veni! Latos spaciemur in agros, 11.
Et premat in villis lumina nostra sopor.

Manè novo, & rebus jam plenâ luce relectis, 12.
Surgemus colles visere vitiferos.
Ut quam spem vites faciant discamus ab ipsis
Gemmis, quas tenero palmite nempe movent.
Anne saum indaerint etiam, pro tempore, florem
Panica mala, hortus queq; ibi noster habet.

Illic bina tibi præbebo hæc ubera. Tunc & 13.
Tempus erit casto perfrui amore mei.
Illic delicias tibi lilia mille ministrent
Nostra nitore suo, suavi & odore suo.
Illic sunt dulces vel in ipso limine fructus,
Ad placitum poteris queis & amice, frui.
Imò etiam mecum sunt anni mala prioris
Condita, que soli fida reservo TIBI.



CAPUT IIX.

ECCLESIA SPONSA.

1. O utinam in plateis populi & spectante coronâ
Obvius esse mihi, frater amande, velis!
Te mihi nempe opto, meus es qui frater, & unâ
Vbere communi quem mea mater alit.
Dulcia (nullius metuens probra) basia ferrem,
Innumeris vicibus & repetenda, tibi.

2. Apprensumq; istis manibus te matris in aedibus
Dilecta vellem ducere deinde mea.
Sub te fido illic, quod rectum est cunq; , magistro
Discere summa esset cura profecto mihi.
Iusta didactra etiam tibi ferrem pectore grato.
Vini nimirum pocula aromatici.
Mustaq; de citriis pomis expressa decenter.
Et musto hoc si quid suavius esse potest.

3. Sentio ubiq; manûs ejus. Capiti (ecce !) sinistram
Substernit, dum me vult tolerare crucem.
Sed simul & dextrâ in nostris amplexibus haeret,
Deliciasq; mihi fertq; feretq; suas.

CHRISTUS AD ADOLE- scentulas Hierosolymita- nas.

Vos igitur, vos adjuro obtestorq̄, puella
Hic quotquot Solymes estis ab urbe sacra.
Vestrum ne qua meam interea inturbet amicam,
Tempora dum sub me lata quietis agit.
Nemo vel extremi digiti tactu excitet illam,
Dum se non somno corripit ipsa suo.

Adolefcentulæ Hierosoly- mitanæ.

Quis nobis dicet quæ Nympha sit illa, videmus
Quam de desertis huc properare locis;
Illa suum quæ se in dilectum tota reclinat,
Atq; sui Sponsi est usq; adeo, Ecce! petax?

CHRISTUS AD SPONSAM.

Te mea amica, soror, mea Sponsa sub arbore malo
Inveniens somnum rupi ego rite tuum.
Cum jam te illius grato sub tegmine & umbrâ
In lucem genitrix nixibus ediderat.

Fac tibi sim sculptum ex auro gemmisq; sigillum
Quod cordi apponas nocte dieq; tuo.
Quin super ambo isthac cupio tua brachia poni;
Ut quodcumq; facis, sis memor usq; mei.
Et merito facis hoc: nec enim mors fortior ipsa est
Illo qui in nostro pectore regnat, amor.
Zelus at ille meus, quo consumuntur iniqui,
Durior inferni est carcere perpetuo.
Si quis amoris eum ardorem appellaverit ignem
Et flammam I O V E, dixerit egregie.

Deus

7. *Velle illum magnā restinguere codiā aquarum,
Haud successuri est velle laboris opus.
Illi tota domūs substantia cedit amori:
Illi magnarum cedit acervus opum.*

ECCLÉSIA SPONSA AD Adolescentulas Hierosoly- mitanas.

8. *Parvula adhuc soror est (en!) nostra, caretq; proinde
Vberibus: quid nam factu opus esse putem?
Compellare illam quo tempore deniq; fas est,
Ut sobolem Sponso gignat & ipsa suo?*

ADOLESCENTULÆ.

9. *Si fuerit murus, super illum argentea nempe
Propugnata iuvat condere magnificè.
Ianua sin verò est firmabimus arte magistrâ,
Illam cedrinis asscribus solide.*

ECCLÉSIA NUPER AD Christum converforum.

10. *Suis murus: mea sunt hæc ubera candida turres:
De Sponsi dubitem nunquid amore mei?
Haudquaquã. Pacè sum nacta, & gratiæ abundè est,
O quæ me læta est, atq; beata magis!*

CHRISTUS SPONSUS.

Con-

Consita pacifico Salomoni est vinea Regi,
Commendata nimis fertilitate loci.
Custodes quibus est ea ritè locata, quotannis
Pro fructu siclos solvere mille solent.

11.

Ante meos oculos ea vinea semper oberrat,
Atq; ita non uno est nomine grata mihi.
Hinc Salomon siclos mille accipis ipse, ducentos
Custodes verò seduli & inde ferunt.

12.

Tu verò hortorum cultrix pulcherrima, ad aures
Vocem mitte tuam, quæ placet usq; meas.
En fidi mecum socij sunt: auribus illi
Quæ referes cupidis, ô mea Sponsa, bibent.

13.


ECCLESIA SPONSA ad Christum.

Huc age, AMICE, veni hinnuleis suavissime plantis:
Atq; levis caprea vince volando gradus.
Perge per hos montes, ubi plurima aromata crescunt
Quæ magnam in cerebro gratiam odoris habent.

14.

Σὺν Χριστῷ

F I N I S.



11

12

13

14

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or introductory paragraph.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

ECCLESIA SPANIA
ad Christianos

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or date.




MEDITATIO-
NUMPIARUM,

Ex aliquot singula-
ribus dictis ac sententijs in
CANTICO CANTICO-
RUM SALOMO-
NIS,

LIBELLUS

ANDREÆ HENÆI,
Pastoris Ecclesiæ Wangen-
heimensis.

ANNO M. DC. XVI.



*STRENUIS, MAGNIFI-
cis, Splendidissimâq; generis no-
bilitate insignibus Viris,*

**Dn. BALTHASARO à VVAN-
GENHEIM, Seniori, in Be-
ringa majori, &c.**

**Dn. JOANNI à VVAN-
GENHEIM, ibidem hæredi-
tario, &c.**

**Dn. GEORGIO MELCHIORI à
WANGENHEIM, ibidem & Thun-
genda, &c.**

**Dn. FRIDERICO à VVAN-
GENHEIM, in Hirschroda, & Berin-
ga majori, &c.**

*Dominis, Patronis, & Fautori-
bus meis plurimum ob-
servandis,*

*Salutem dico & perpetuam precor
felicitatem.*

D

Can-



ANTICUM CAN-
ticorum, Viri Magnifi-
ci, Strenui, & Nobilissi-
mi, Sacra Scripturae liber aliquan-
tisper mihi pro hortis fuit amœnissi-
mo, in quo ambulavi summâ cum
delectatione ac voluptate animi
mei. Decerpſi igitur floſculos ali-
quos, qui præ cæteris mirè elegan-
tes & suaves mihi sunt visi; quan-
quam nihil omninò inventum ibi,
quod nares aut frontem corrugare
mihi potuisset. Eos collegi, & in
memoriæ meæ domicilium planta-
vi solerter, ut cordi meo admove-
re eos possem quotidie. Et sanè quid
boni odoris cor meum inde jam per-
ceperit nocturnis pariter ac diur-
nis

nis meditationibus, cum pietatis
amatore quocunque commune id
esse volo. **V O B I S** autem, Vi-
ri Nobiles, Strenui, ac Magnifi-
ci, Patronique mei honorandi eos
pro tesserâ meâ erga **V O S** obser-
vantia & pro acceptis beneficiis
gratitudinis specimine, dedico, &
consecro, submissè rogans, ut eos
pacato vultu suscipiatis. **CHRI-
STUM IESUM**, qui in his me-
ditationibus meis omnibus omnia
est, ex animo precor, ut vos omnes
quam diutissimè & animis & cor-
poribus sospites in vita hac conser-
vet Vobis, Vestris dilectis, subditis
fidelibus, Ecclesiis nostris, & mihi
deniq.

V Vangenhemicæ Ecclesiæ
vestræ Pastori

Andræ Henæo, qui hæc scripsi
XI. die Junij Anno
M. DC. XVI.

D 2

NO-

NOBILITATIS PERVE-
tustæ splendore, artium liberalium
insigni cognitione, juxtâ etiam multâ rerum
bellicarum experienciâ conspicuo, atq;
ita planè Heroico
VIRO

*Dn. JOANNI à VVANGENHEIM
Hereditario ibidem, &c.*

Domino & Mæcenati meo, omni ob-
servantiæ cultu prosequendo, salu-
rem & felicitatem perpetuam precor.

Hactenus Aonidum lustrâsti castra, IOANNES
VVANGENHEIMIAE fama decusq;
Imò cum laude & fruge es versatus in illis: (domus.
Nôsti quas habeant illa decenter opes.
Extera sic mundi vidisti regna, quod æque
Ævi vernantis gloria lausq; tui est.
Non etenim vacuus remeas, sed multa reportas,
Ad quæ non poteras antè venire domi.
Insuper, Heroum quoniam de sanguine equestri
Nato Equiti innata est mens generosa tibi,
Te studiis armorum etiam per multa dedisti
Tempora: dulce fuit Belgica bella sequi.
Sic Phœbi miles; sic Martis es: utraq; sic te
Militia Heroem prædicat egregium.
Atq; ita, dum proavos ALII jactantq; strepuntq;
Majorum in factis nominibusq; stupent;

Talia tu mittis, proprio fulgore coruscus,
Ipsæ decus gentis, gloria & ipse tua,
Iam, quando nobis te fata secunda reducunt,
Ad patriam ut sedeas postmodò frena domi.
Iustitiæ quoq; miles eris, tutamen & equi,
Innocuæ cultor pacis & altor eris.
Quin etiam CHRISTO sub principe, pectore firmo,
Invictâq; fide debita bella geres,
Adversus Satanae, nimirum bella, cohortes,
CHRisticolis nobis quæ sine fine movent.
Hâc sanè non exiguâ spe ducor. Inanem
Quam non (oro) DEVS, sed velit esse ratam.

Hæc mea de TE Spes, fulgor tuus ille, tuæq;
Quæ te cælo æquant Nobilitatis opes,
IRE meum hunc AD TE sacrum jussere libellum
Quo CHRISTI in SPONSAM concelebratur amor.
Fallor? an accipies illum, reddesq; coruscum
Gentis luce Tuæ, fame & honore tuæ?

Strenuæ Nobilitati T.

deditissimus

Andreas Henæus P. L.
Ecclesiæ Wangenhei-
mensis Pastor.

12. Junij Anno 1616.

D 3

LE-



LECTORI PIO ET
Sincero S. D.

FLOSCULOS istos usibus
meis peculiaribus collectos ex Cantico
Canticorum SALOMONIS Regis sapien-
tissimi; qui sacrae Scripturae libellus de
CHRISTI JESU, & Ecclesiae Sponsae e-
jus ardentissimis simul & castissimis amo-
ribus perpetuum agit; LECTOR, quicun-
que pietatis studiosus es, Tecum commu-
nesse volo, ex Lege Christianae dilectio-
nis. Admove eos cordi tuo, & boni odoris
(sat scio) multum inde percipies ad vi-
tam: OMNIA ENIM IN OMNIBUS
ILLIS CHRISTUS EST; id quod in
hoc vestibulo paucis
ostendam.

I.

*In prima Meditatione beneficia CHRI-
STI summa, sub OSCULI appellatione pra-
dico. Ad ea peccator fulmine Legis divinae per-
territus fugit & sanatur.*

II. Quis

II.

Qui in universo mundo propter peccatum
fœtor est deterrimus, eum NOMEN CHRISTI,
quod unice olet optimè, supprimit & expellit. Id.
in 2. Meditat. ostendo.

III.

Tertia Meditat: ad VERBUM CHRI-
STI & sedulam ejus meditationem omnes illos
remittit, qui in miserijs vite suæ quietem & re-
creationem querunt, qui & mysteriorum di-
vinorum cognitionem ullam habere deside-
rant.

IV.

Meditat: quarta summum AMOREM
CHRISTI, quo genus humanum complexus
est, ante oculos nobis ponit pro VEXILLO,
quod veluti milites ejus sequamur in omni-
bus.

V.

Summi amoris CHRISTI exemplum
monstrat meditat: quinta in verbis ejus, qui-
bus nos homines miserè & turpiter lapsos quo-
tidie jubet SURGERE per pœnitentiam, & ad
se VENIRE per fidem.

VI.

Ecclesie, ob dilectionem CHRISTI, ex-
sultationem recenset Meditat: sexta, cum signi-
fica-

gnificatione ejus in ipsam fiducia succo-
ra.

VII.

In Meditat. Septima Ecclesia specialis qua-
dam ex Antichristi regno recens conversa nar-
rat, quâ id viâ factum, seu quo modo ad CHRIS-
STI cognitionem pervenerit.

VIII.

Ecclesia CHRISTI, & quodlibet ejus
membrum sincerum suam pulchritudinem & de-
corem CHRISTO gratâ mente tribuit, & ad-
scribit: nihil verò quidquam ejus suis operibus, in
meditat. octava.

IX.

Ad fructus fidei ferendum Ecclesia in Medi-
tat: nona se obstrictam esse fateatur. Orat igitur
ut CHRISTVS eos acceptare velit in membris
suis.

X.

In Meditation: decima homo pius con-
queritur de imbecillitate carnis suae, quâ impe-
diatur, ut non semper ad bona faciendâ vigilet,
sed etiam præter voluntatem suam dormiat.

XI.

Ecclesia CHRISTVM prædicat in na-
turis suis candidum, hoc est, nullis peccatis
pollutum, propter nos autem homines factum

rubicundum per Passiones; in Undecima Meditatione.

XII.

Meditat: duodecima CHRISTI verbum à sinceritate & suavitate suâ mirâ predicat. Verbi etiam præcones quales esse debeant, instruit.

XIII.

Certitudinem suæ in CHRISTVM fiducia, & omnium eorum, quæ de eo predicavit, Ecclesia evincit in Meditat: decima tertia.

XIV.

CHRISTVM Ecclesia sua presentem semper esse, & delicias suas habere cum illa, in Medit: decima quarta ostenditur.

XV.

Ecclesia variis in mundo molestiis & tumultibus onerata CHRISTVM ad se vocat, ut cum eo egredi possit. Quomodo etiam id fiat, decima quinta Meditat: loquitur.

XVI.

In Meditat: ultima CHRISTVS Ecclesiam sponsam suam jubet, ut in omnibus cordis sui

D. S.

cogit

cogitationibus manuumq; laboribus ipsum, tan-
quam signum & scopum sibi ante oculos præse-
gat.



Singulis admiscui pia vota mea, qui-
bus etiam locum apud CHRISTUM
futura esse confido

A. Henæus.



Medit. I.



MEDITATIO I.

Verborum.

Capitis I. v. I.

OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI.



ANIMA mea quid facies? in quacunque re præsidiij aliquid pones ad te sustentandum, & ad conscientiam pacandum, postquam ex Lege DEI peccatorum tuorum cognitionem habes? Ea jam longo tempore intra te dormierunt securè, unde tamen nemica eorum decessit, sed potius majora facta sunt, & excreverunt nimis. Jam postquam evigilaverunt per vocem & tonitrua Legis divinæ, virtus mea (loqui *Ps. 38. v. 11.* necesse habeo cum Davide) me dereliquit, & anima mea inferno appropinquat. *Ps. 88. v. 4.* Quid faciam miser? Peccata mea

DEO

DE O' cordium scrutatori celare non
 possum: palliare & extenuare non de-
 beo: oculos DEI effugere impossibile mi-
 hi est. An verò Legi divinæ irascar, quòd
 fulmine suo tantum terrorem in me exci-
 tavit? atqui injuriam ipsi facerem. Lex e-
 nim, quod suū est, fecit, ostendendo mihi
 peccata mea, & poenas pro meritis de-
 nunciando. Quòd si peccatis ipsis jam
 succenseo, eaq; execror, rectè quidem id
 facio, rectiùs autè fecissem, si, antequam
 patrata ea à me essent, vim, potentiam, ac
 stipendium eorum consideràssem, exhor-
 ruissem, fugissem. Quò ergo fugiam?
 Num à consortio hominum in solitudi-
 nem aliquam? atqui ea loca sola non no-
 bis, sed feris ac bestiis, serpentibus ac dra-
 conibus inhabitanda DEUS dedit. Fugi-
 àmne ad claustra Monachorum, qui se
 perfectos nominare solèt, ut suis operib;
 mihi succurrant, & peccatorū onus sub-
 levent? atqui eorū (quā crepant præ cæte-
 ris ipsi) operum justitia jam dudū panno
 mulieris menstruatae cōparata est: imò e-
 andem damni & stercoreis appellatione
 Apostolus indigitat, si fiducia justitiæ, &
 meriti corā Deo, ad vitā æternā, illi assua-
 tur. Quānā igitur ex eā fiducia mihi esse
 posset? Annē in proprijs operib; vel factis
 vel faciendis spes mihi ponenda? Sunt ea
 vix

vix unius horæ: qui pondus & æstû dici ja- *Matt. 20.*
sticant, nullam inde gratiã reportant. Nun- *v. 12.*
quid abrupto propriis manibus vitæ vincu-
lo terræ me credã? Absit, absit! Etsi n., qui
mortui sunt, peccare desinüt: ejusmodi ta-
men, qui sic vel ad hñc modũ mortui sunt,
ideò animæ & conscientiæ veram quietem
consecuti non sunt. Malè jacent, qui sic ja-
cent: abrupterunt n. sibi omne, ad gratiæ ac
misericordiæ divinię portam, regressum. O-
randus mihi potius DEUS est, ut me in vita
hac diu reservet, donec, quod me peccatorẽ
consoletur, invenero: imò donec viã meli-
oris vitæ ingressus DEO & proximo meo me
probavero. Quid igitur illud est, in quo tã-
dem, ò anima mea, pacem & tranquillitatẽ
tuam habere posse existimas? Scire me ali-
quid omninò oportet, aliàs absorberet à
tristitia. Hoc, hoc nimirũ illud est; Revertar *psal. 51.*
ad Deum à quo fugi; & offerã ei cor contri- *v. 20.*
tum & humiliatum dicens: OSCULARE
ME, O DOMINE JESU, OSCULO ORIS
TUI, & sanabitur anima mea. OSCULA
illa, & præterea nihil ab eo peto. In illis
unicè est quicquid ego desidero, & exos-
culor. Et spes bona mihi, Eum me ad be-
nevolentia suæ oscula admissurum ex de-
bito promissionis ejus. Considera a., ò ani-
ma mea, OSCULA Domini Dei tui. Quenam
sunt illa? Quomodo Deus nos osculatur?
Equi-

Ioh. 3. v. 16.

Equidem ad oscula ab eo accipienda, si-
ve illi danda corporali gressu ei appro-
pinquare in hac vita nequeo: Et tamen
osculatur ille nos varijs modis? OSCU-
LUM summæ dilectionis ac misericor-
diæ DEI Patris est missio unici ac dilecti
filij sui ad salutem credentium. OSCU-
LUM summæ & ineffabilis gratiæ ac bo-
nitatis fuit CHRISTI in carnem no-
stram adventus, OSCULATUS est o-
ves perditas domûs Israël, & qui ex gen-
tibus etiam ad eum venerunt, doctrinâ
Evangelij, quam ex sinu æterni Patris ad-
duxerat. OSCULATUS est univer-
sum mundum in omni opere acerbissimæ
Passionis suæ, maximè autem cum expas-
sis manibus in cruce pependit, & inclina-

Ioh. 19. v. 30

to capite, ac si etiam corporali modo o-
sculum nobis præbere vellet, Spiritum
suum emisit. OSCULABARIS Ô JESU
optime, hanc tellurem, dum ea sangui-
nem tuum pro nobis effusum, & paulò et-
jam post totum corpus tuum à manibus
Josephi ac Nicodemi exciperet, & ad ter-
tium usque diem inter viscera sua retine-
ret. OSCULABARIS genus
humanum, cum mortis ac inferni victor
& triumphator, inde redires, veramq; ju-

2. Tim. 1. 10.

stitiam, pacem cum DEO, & vitam in lu-
cem

cem produceres, ac immortalitatem.
OSCULABARIS hæreditatem tuam,
cum Apostolos Spiritûs sancti donis ab-
undè instructos ad annunciandum in Eu- *Act. 10. 7. 36*
angelio pacem in universum orbem e-
mitteres. O amabile, salutare, & omni-
bus modis necessarium ideoq; expeten-
dum osculum! OSCULUM autem,
istud tuum, tunc per Apostolos & cate-
ros discipulos tuos universo orbi obla-
tum, adhuc nobis offertur integrum, &
ejusmodi est, in quo omnia cætera sum-
mi amoris tui, tuorumque meritorum
OSCULA comprehenduntur, & inve-
niuntur. Ad illa igitur miser ego peccator,
fulmine Legis perterritus, confugio, eaq;
verâ fiduciâ exosculor & amplector: in
illis omnium meorum desideriorum ar-
cem ac præsidium collocavi: illa animæ
meæ unica causa sunt, cur in medijs etiam
angoribus suis lætari possit, & confiden-
ter dicat: DOMINE JESU CHRISTE
Tu admisisti Judæ proditoris tui oscu-
lum falsum, osculum iniquitatis ejus: non
aversatus es os tam impurum, tam perfidum,
tam impudens. Imò te incurvastis
ad illud excipiendum, quasi ejus tibi o-
pus esset valdè: cur non igitur exosculer
ego TE humilimus servus tuus? h, e. certò
confi-

confidam, quod Oris tui OSCULIS sanctissimis in Evangelio omnibus nobis peccatoribus misericorditer oblatis me quoque sis nunc & in ultimo meo agone recreaturus.

MEDITATIO II.

Verborum

Capit. 1. v. 3.

LINGVENTUM EFFUSUM
est nomen tuum.

QVAM tetrum eheu foetorem excitavit in universo orbe Satanas per peccatum, quod primis parentibus nostris fraudulenter persuasit? Is in omnibus nobis, donec in vivis sumus, hæret manetq; : is naturam nos iræ filios & abominabiles reddit: is omnis generis mala in nobis operatur: Is omnium morborum in corporibus nostris causa est: is mortem tandem ad nos omnes deducit, quæ nos hinc abripit, inq; terræ cavernas abscondit, & quod ad corpus attinet, in escam vermibus objicit, imò ipsos ex & in nostris ipsorum corporibus creat ac producit.

Ah

Eph. 2. v. 3.

Ah quot lacrymas peccati foetor ille in-
mundo quotidie expellit ex oculis homi-
num, dum pulcherrimos flosculos juve-
rae utriusque, sexus, robur virorum selecto-
rum tam in toga, quam in tango, sapienti-
amque; senum nobis subtrahit? Eum pec-
cati, & omnium ex peccato deductorum *Isa. 2. v. 3.*
malorum foetorem quis, quo suffitu, quo
thymiamate expurgabit? Si beneolen-
tes Cedri omnes totius Libani accende-
retur, una cum aromatibus totius orientis,
quae nominari possunt, & adhiberentur,
quae arte magistra praeparantur, odores
omnes, nihil tamen quicquam ad foetorem
illum amovendum praestarent. Manet il-
le & quotidie mille modis, mille curibus
omnis generis mala apportat nobis. Quo-
tus autem est, qui id consideret? Aura vi-
tiata est, & metuendi morbi pestilentia-
les? Fugiunt ad alia loca homines meti-
culosi. Gravis halitus aegris faucibus exsu-
dat? jaciunt cadavera & aliae res fortassis
odorem gravem ac molestum nobis? na-
res corrugamus, tegimus eas linteolis,
odoresque adhibemus qui in promptu sunt,
aperiuntur cum januis fenestrae. Quo-
tus autem, inquam, est qui peccati foeto-
rem omnium teterrimum, omnium no-
centissimum, imo mortis aeternae causam

E pra-

præsentaneam satis deploret, & quomodo ac per quid opprimatur, consideret? Verùm alios mittens ad me devenio. Miser ego homo in peccatis conceptus ac natus sum. dirum illud venenũ inquinavit me. quæ cõmisi peccata inscius, sciens in omni ævo meo, malè apud Deum olèt, meq; ipsum (heu!) exanimant fermè. Hoc ego cognosco & Deo meo, cui soli peccavi, cõfiteor primùm. Ad quod verò pharmacopolium fugiam? quid thuris? quid alterius aromatis odoratissimi dabitis mihi homines odorum optimorũ callentissimi, ut recreetur anima mea, & exultent ossa contrita? Profectò in vobis nihil horum est, homines. Et hoc alterum est quod vobis dicam.

Pf. 51 v. 6.

Fugio autem, quò me tota Scriptura sacra abripit, ò Jesu Christe, ad TE, quem solum & unicum peccatorum ille fœtor non adflavit. Ad te, inquam, fugio. *Nomen enim tuum unguentum est*, quod effusum omnem peccati nostri fœtorem vincit, suppressit, expellit, & animas in te credentium, vel in ipso limine æternæ mortis propemodũ versantes, reducere potest. O Jesu optime ad TE & hoc *Nomen Tuum* odoratissimum confugio. Quodnam verò illud? Satisné mihi quod novi te appellari nomine JESUS? atqui nove-
runt

rant illud etiam hostes tui, ipsi etiam dæ-
mones. Non sufficit hoc. Sed hoc est
nomen illud tuum odoratissimum, quòd
propter nos homines, & propter nostram
salutem descendisti de cælo, & Homo fa-
ctus es, ut esses JESUS meus, & omnium
eorum, qui te suum esse desiderant. Hoc
est nomen tuum, quòd vocant te JEHOVA
justitia nostra. Sive, ut Paulus loquitur,
quòd factus es nobis à DEO justitia. Hoc
est nomen tuum, quòd pro ovibus tuis ani-
mā posuisti. Hoc est nomen tuum, quòd ad-
huc quæris & salvas quod perit. Hoc est
nomen tuum, quòd nos in ovile tuum in-
ductos recreas salvifico pabulo sacrosan-
cti verbi tui. Hoc est nomen tuum, quòd
nō descendisti de cruce tuā, sed pro nobis
in ea perdurasti usq; ad cōsummationem
eorum omnium, quæ pro salute nostra pati
voluisti. Hoc est nomen tuum quòd è sepul-
chro tuo, cui peccata nostra intulisti, non
te sustulerūt mortuum discipuli, sed pro-
pria virtute resurrexisti vivas tempore
constituto. Hoc est nomen tuum, quòd
cælum ascendisti, & cum æterno Patre
& Spiritu Sancto imperium habes, cujus
non erit finis. Et ut paucis multa com-
prehendam: Cum tuum nomen prædi-
cto, omnia illa beneficia tua & merita

Ier. 23. v. 6.

Et eap. 33.

v. 16.

1. Cor. 1. 30.

Ioan. 10, 15.


Luc. 19, 10.

E 2 præ-

prædico unde justificati pacem habemus
cum Deo per te Dominum nostrum Je-
sum Christum.

Illius tuæ bonitatis thesauri immensi,
per quos misericorditer liberamur à pec-
catis, per quos peccatorum ille foetor forti-
ter extinguitur, ita ut nō noceat, per quos
denique etiam in hac vita vitæ ac beati-
tudinis aeternæ odores haurimus: Illi, in-
quam, tuæ bonitatis thesauri ubicunque
prædicantur & offeruntur voce Evange-
lij. ibi bene olent omnia: ibi beneolen-
tissimæ arbores, frutices, herbæ flores to-
tius paradisi cœlestis effundūt, spargunt,
jaciunt quidquid odoris habent saluber-
rimi: ibi balsamus ille odore & nitore
Psf. 45. v. 8. suo gratissimus, quo præ consortibus tuis
unxit te Deus tuus, non in cerebrum, sed
in intima cordium nostrorum penetralia
descendit. Quin etiam nos odorem un-
Cant. ca 4. guentorum ibi accipimus, qui præstat o-
v. 10. 11. mnibus aromatibus; & vestimentis in-
duimur, quorum odor sicut odor Liba-
ni. Illa nimirum sunt fides, justitia, pax,
gaudium, conscientia tranquillitas, &
hujusmodi alia dona spiritualia, quæ ju-
stificati ex bonitatis & gratia abyssis quo-
tidie accipimus. O DOMINE mi JESU
effunde odoratissimum hoc unguentum
Nomi-

Nominis tui, & quodcunq; dulcedinis,
recreationis, ac veræ consolationis inde
dependet, non in pennam, in chartam, in
linguam hanc meam solummodò, sed in
ipsum potiùs cor meum, donec in hoc
extremi mundi fœtore superstes vivo,
maximè autem, cum in agone meo no-
vissimo nihil odorati aliud me reficere
poterit. AMEN.



MEDITATIO III.

Verborum,

Capit. 1. v. 4.

DUXIT ME REX IN
Cubiculum suum.

MISERIAS vitæ humanæ descriptu-
rus, undenam abundè verborum
conquiret? Describendus enim ipsi erit
tristissimus parentum nostrorum primo-
rum ex paradiso discessus: deploranda
misera nostra peregrinatio in his terris:
hominem depinget in ingressu vilem, in
progressu miserum, in egressu flebilem.
Et quid in eo deprehèdet quod esset præ-
dicatione singulari dignum? An corpus?
imbecille illud est: formam? exigui tem-
poris donum breve est: valetudinem? diu

E 3. illam

illam certò non habeo: Honores? magno-
stant, & citò avolât. Voluptates? in sine-
ræ sunt; promittunt favos, aloèn mini-
strant. Virtutes? ardua ad illam via est, cū
ad illius summitatem perventum, claros
quidē reddunt homines, sed post obitum
tantūm. Vitam ipsam fortassis? Plus fellis
ea quā mellis habet, tenui pendet capil-
lo, & fumi instar migrat in auras. Vitam,
qui pius est, operat tantūmodo, ut aliquid
efficiat quod vita dignum sit. Ad hæc o-
mnia satis deploranda quis dabit lacry-
mas nobis, & oculis nostris lacrymarum
fontē? Deficit mihi cogitatio: nō satis est
lingua mea: manus labat: hebescit cala-
mus: chartæ non sufficiunt. Desisto igitur
& hæc mitto. Ubinam a. loci spes quietis
meæ? Ubinam boni aliquid, quod me ful-
ciat aut sustentet, reperire potero? *Ducit
me Christus Rex meus in Cubiculum suum.* Illud
novi: in eo tutus quiescam, ibi dormiam
cum pace: ibi somniabo nō vana somnia:
ibi reconduntur thesauri, qui alibi nusquā
sunt, quorū & ipse particeps esse possum
quando & quotiescunq; volo. Super hoc
Cubiculo meditationem mecū instituem,
ut quid illud sit, & quid mihi sit ex eo spe-
randū, & auferendū, exactè scire possim.
Cubicula in nostris ædibus quid sunt a-
liud

Ter. 9. P. 1.

liud quam loca quietis nostræ & secreto-
rum? Defatigati per diem variis labori-
bus, cum nox advenit, cubicula nostra
petimus, in illis lectum, in lecto somnū,
in somno quietē. Credimus illis cubicu-
lis & dormitoriis nostris, si quid habemus
thesauri, majoris securitatis ergo. In
cubiculis illis nostris dormituri quietē,
vestes de corpore mittimus, & cū illis cu-
ras & sollicitudines nostras, quantum ejus
feri potest. Ad cubiculi etiā loca sola re-
mittit Christus nos oraturos, cū promi-
sione certæ præsentia Dei Patris nostri, *Matt. 6. v. 6*
qui nos ibi aspiciat & preces nostras ex-
audire velit. Hæc cubicula nostra; hic u-
sus illorū est. *Cubiculum a. de quo hic agen-
dū mihi Verbu Dei est, ac sedula & indefessa ejus
meditatio.* Nimirū in eo sacratissimo cubi-
culo Christum Regē & Sponsū nostrum
novimus. Quærere eū & amore ejus satia-
ri quicūq; vult, hīc eum, h. e. in Verbo suo
quærat. Imò orandus ille est, ut nos in id
ad se trahat. Cum enim tantus acervus sit
nostrarum miseriarum & tribulationum
in hac vita, & nihil omninō inveniatur,
in quo mentes nostræ securè possint qui-
escere, quàm in Christo & meritis ejus,
profectò ad cubiculum illud properan-
dum nobis unicè est. In cubicula nostra

Joh. 5. v. 39.

Rom. 5. v. 3.

*Sant cap. 1.
v. 16.*

Psal. 90, 6.

non admittimus nos omnes & universos
amicos nostros. sed eos duntaxat, qui no-
bis sunt conjunctissimi, spectatissimiq;
Christus autem Rex noster ab illo sui ver-
bo neminem arcet, omnibus claustra ad
illud referat, admittit omnes. Imò etiam
omnes homines ad ea, quæ ibi secreta
sunt, perscrutanda, invitat & adhortatur.
Pressus igitur es miseriis hujus vitæ? Pec-
catorum onus te fatigat? conscientia do-
mi in molli lecto dormire te & quiescem,
capere non sinit? Diaboli tentationibus
vexaris? Hoc cubiculum pete; in eo enim
vera quies, justitia, pax, & tranquillitas
est. Miseriæ nostræ in illo ita edulcantur
nobis, ut earum nomine etiam gloriari
possimus. Peccatorum onus ibi in seipsum
Christus recipit: conscientijs restituit pa-
cem: munit nos contra Diaboli insultus
vera ac solidâ armaturâ. In illo cubiculo
sordidas vestras, h. e. omnia ea, quæ nos
coram Deo deformant, commutamus
cum novis, quæ nos Deo gratos & acce-
ptos faciunt. In illo Christi Regis nostri
cubiculo **LECTUS EST FLORIDUS**, in
quo quicumque jacent, florent pulcher-
rime. Unde autem ille floret? non cer-
tè ab illis floribus, qui manè florent & de-
cidunt vespere: Sed Christus **IPSE**
excellentissimus ille omnium flos est.
Qui

Qui credit in eum dum vivit, & in hoc cubiculo verbi divini obdormiscit, nã bene & molliter cubat, non perit, sed floret. Habeatur sanè ante oculos nostros pro cadavere putrido, quid tum? coram Deo dormit molliter, quiescit secure, floret suaviter. Imò (teste ipso DOMINO, qui in hoc cubiculo omnia nobis est) mortem omnis ille, qui sic moritur, non videt in æternum. O floridum, vivum, & vivificans cubiculum! O quantum istud præstat nostris! Noctis ingressu nostra petimus defessi pessulum foribus obdimus providi, somno ac quieti nos præparamus taciti, precibus nos Deo nostris commendamus devoti: Quid fit? Somnum sæpè per multas horas non admittunt oculi nostri, varijs ex causis: insomnes sæpè numero jacemus per integram ferè noctem: nonnunquam quietem nobis interrumbant somnia dira. Est cum excitat nos suavissimè dormientes casus aliquis in domo nostra fortuitus: Est cum excitat nos clamor perulantium hominum in plateis. Et quis omnia, quæ nos noctu inquietare possunt, recenseat? Christi cubiculum & lectus in illo floridus ejusmodi nihil admittit. Et si fortassis aliquid: ita tamen comparatum cum illo est, ut per Dei præsentem gratiam ferè illud queamus. Quod si, uti dixi, cubicula etiam

E 5 sunt

sunt secretorum loca, profectò in hoc suo
Christus secreta & mysteria habet omni-
um maxima, eaq; Sponsæ suæ, h. e. omni-
bus in se credentibus pandit & exhibet. Il-
la verò quænam? Ex maximis unum hoc
est, quòd Christus suos tot & tam ma-
gnificis verbis prædicat, & usq; adeò pul-
chros pronunciat, qui tamen seiplos ni-
gros ac deformes, h. e. miseros peccatores
fatentur. Mysterium hoc, qui in cubiculo
Christi non versatur, non intelligit: qui
verò ibi sunt, ejus cognitionem hanc ha-
bent: Nigri & deformes naturâ sumus o-
mnes, ò DOMINE JESU, ex nobis.
TUO verò sanguine mundificati sumus
ab omnibus iniquitatibus nostris, & sic,
sic tibi satis formosi sumus: Verùm quid
secreta divini cubiculi hîc ego recenseam?

DOMINE JESU CHRISTE
ad cubiculum hoc sacrosancti verbi tui an-
helo unicè: in eo versari tecum, tecum &
cubare, tecum & quiescere unica mihi cura
est. Trahe me ad illud post te: Conserva
me in illo tecum: quietem tuam concede
mihi: pande tua mihi mysteria: Et in illo
floridissimo lecto tuo tandem me cum
pace tuâ, inq; tuis amplexibus
obdormiscere sine,

AMEN,

ME-

MEDITATIO IV.

Verborum

Capit. 2, vers. 4.

EREXIT AD ME VE-
xillum, amorem.

O Anima mea, traxit te CHRISTUS post se in cubiculum suum: dignatus est te osculis suis: recreavit te odoratissimo unguento sacrosancti nominis sui, ut miserias vitæ hujus sustinere possis. Ex secretis autem illis, quæ ibi vidisti, & quorum intelligentiam cepisti, tanquam singulare quoddam eminet VEXILLUM AMORIS EJUS. Age igitur etiam illud aspiciere & contemplari libeat? Quæ nam ab eo consolatio mihi petenda? Nimirum, dum in his terris sumus, peregrinamur à DOMINO: Via, *2. Cor. 5. 6.* autem ad coelestem patriam, quò per hunc mundum contendimus, salebrosa ac lubrica est: multa nobis impedimenta quotidie obtrungunt: accidunt multa, quæ nos à via recta abducere conantur. Et nec solum, *Job. 7. 8. 13.* misera peregrinatio, sed & quotidiana ac
pe-

periculosa militia est vita nostra. Cum
quo ceter, mens pia semper habet. Hostes
nostri sunt Satanas, mundus, & ipsa caro
nostra. Ab his metuendum nobis valde.
Diabolus enim per organa sua ad obtinen-
dum Ecclesie calcaneum insidiosus, imò ad
effundendum sanguinem armatus est. La-
cessit præcipue illos, in quibus Christum
cernit habitare. Mundus pravis exemplis
suis pijs insidiatur & ægré facit: Caro verò
nostra non imbecillis solum est, sed etiam
prona ad peccandum. Hæc conditio nostra
misera est. Verum tu, ô anima mea, quid
tristaris? Recollige te consideratione
Christi, qui dux peregrinationis nostræ,
imò ipsa ad patriam, quam perimus, via est.
Labimur? Surgere nos jubet. Segnes su-
mus? Properare præcipit. Imò ut possimus
quod jubet, porrigit nobis baculum verbi
sui. Per illum allevat nos & erigit elisos.
Deducit nos sicut parentes solent teneram
juventutem, non sicut hectores & carnifices
maleficos. *ἡγεμάρχου* præterea noster
est, qui videns nos periculose pugnare pro
nobis ipsemet arma capit & vincit, cætera-
que facit omnia, ut in ipso & sub ipso bene
nobis sit. Quis autem hujus ducis ac propu-
gnatoris vestri beneficia pro dignitate de-
scribat? Unum est quod considerandum
mihi

Ioh. 14, v. 6.

Pf. 145, 14.


Pf. 48, 15.

mihi hoc loco, VEXILLUM nimirum,
quod ad nos EREXIT, superq; capitibus
nostris volare facit. Quid verò vexillum
est? Militare velum ex holoserico textum
cum signo aut insignijs Imperatoris exerci-
tus. Sub certo aliquo vexillo militem
quenquam esse, & illud bene nosse oportet.
Vexillum suum nemini deserere fas est.
Cum Vexilla volant, post se quasi trahunt
milites; sequi eos maxime convenit: ere-
cta dant animos pugnantibus, eosq; obfir-
mant. Jacent illa? disperguntur cohortes,
& dant fugam. Christi autem Ducis nostri
vexillum quodnam? AMOR E JUS,
qui certè insignis est. Eum erexit pro VE-
XILLO, ut nos ad se traheret cum pecca-
torum servi essemus: Per illud secum retir *Rom. 6, 13.*
net nos, cum ad ipsum conversi jam sumus.
Et cum præliamur per id ipsum corroborat
& animat nos. Victi sumus aliquando?
Per id redit in præcordia virtus. Nunquid
autem AMORIS ejus VEXILLUM
hoc videmus? Maximè: ERECTUM
enim est. Hoc est, notum illum IPSE
nobis fecit amorem suum. Et qui hoc
vexillum, amorem Christi, non cogno-
vit, nondum ejus miles est. Qui vexillum
hoc cognitum deserit, salvus esse nequit,
nisi ad illud, donec in vivis est, revertatur.
DO.

DOMINE JESU de premio perseve-
rantie sub vexillo tuo certus quidem
Matth. 24. 13. sum: Qui perseverat (dixisti) usque ad
finem salvus erit. De ipsa vero perseve-
rantia, dono tuo, certus non sum. Perseveret
igitur illa in me per tuam gratiam obni-
xè te rogo, ut militem bonam militiam,
1. Tim. 1. 7. 18. 19. retinens fidem & bonam conscientiam.
Cui vexillum hoc ante oculos est, & per
fidem intuetur illud studiosissime, is con-
tra hostes suos feliciter pugnat, & mala
morte perire nequit, quo etiam cuique
mortis genere hinc decedat. Quod si
igitur in hac misera peregrinatione no-
stra arumnae variae mihi contingunt,
intuear vexillum hoc amoris CHRISTI,
Rom. 8, 35. cum Apostolo dicens: Quis me separa-
bit à dilectione Dei? Tribulatio? an an-
gustia? an fames? an nuditas? an pericu-
lum? an persecutio? an gladius? Imò
in his omnibus plusquam victores sumus
per eum, QUI DILEXIT NOS: Nam
persuatum mihi est, neq; mortem, neq; vi-
tam, neq; angelos, neq; principatus, neq;
potestates, neq; instantia, neq; futura; neq;
sublimitatem, neq; profunditatem, neque
ullam rem aliam creatam posse me sepa-
rare à Charitate DEI, quæ est in CHRIS-
TO JESU Domino meo. Res mihi
cum

cum proximo, cui succurrendum aliqua in
egetate, in necessitatibus, in periculis?
Intueri debeam pulcherrimum hoc ve-
xillum, juxta admonitionem Apostoli
dicentis: Ambulate in dilectione, sicut *Eph. 5, 2.*
& CHRISTUS dilexit nos, & tradidit
semetipsum pro nobis oblationem & ho-
stiam Deo in odorem suavitatis. Quasi
diceret: Quandoquidem vexillum dile-
ctionis CHRISTI supra capita nostra,
& ante oculos nostros habemus, militare
etiam nos dilectioni erga proximum debe-
mus strenue. Deniq; cum etiam media in
vita mea ad mortem venturam prapa-
rare me debeam, & ne ad horæ pun-
ctum vitæ securus esse possim, utiq; vexil-
lum amoris Christi ab oculis meis non mit-
tendum mihi: semper cum Apostolo di-
cendum: Christus dilexit me, & pro me se *Gal. 2, 20.*
ipsum tradidit. Christus enim me vivit, qui
pro me mortuus est. Quod si per ipsum de-
victa mors est, meo id bono cedit. Vivam
& Ego. CHRISTUS recipiet me ex ca-
stris militaribus vitæ hujus in domum su-
am. Christi, cujus sub vexillo miles fui in
miseriâ, miles ero etiam in gloriâ. Vivit iô
Christus dux noster, dux ille vitæ, domitor
mortis, inferni destructor: Non igitur
moriatur, sed cum Davide & omnibus, *Pf. 118, v. 17.*
qui sub vexillo ejus in mortis horulâ
in-

invenientur, vivam, & triumphos Domini mei narrabo. DOMINE JESU ne me desere, ne TE ego deseram. Amen.



MEDITATIO V. Verborum.

Cap. 2, v. 10. & 13.

DILECTUS MEUS LO-
quitur Mihi : Surge, propera,
Amica mea, Formosa mea, &
veni.

NUNC age, o anima mea, quæ ver-
tis in cubiculo Christi & secreta ejus
ibi cognoscis plurima, considera & expen-
de responsum, imò verò oraculum Domi-
ni tui, quo sponsam suam sic alloquitur:
SURGE AMICA MEA, FORMO-
SA MEA, ET VENI. Responsum hoc
esse audio ad interrogationem certè ali-
quam, etiamsi quænam illa fuerit, non sit
scriptum. Nunquid autem deprehendere
queam, quidquid interrogationis aut peti-
tionis præcellerit? Utique sanè. Quòd si
enim

enim perpendo. Quis respondeat, & cui,
res manifesta erit. Nimirum respondet
CHRISTUS EI, quam suam AMICAM,
formosam suam, suam & columbam vocat:
cujus vocem dulcem, cujus formam amabi-

vers. 14.

lem esse dicit ac prædicat. Huius, inquam, re-
spondet. Si igitur illi dilecta est, si formosa
est, si vox & forma ejus usq; adeò illi pla-
cent: sanè ipsi etiam obediens erit in omni-
bus, & nunquam nõ interrogabit: Domine
MI, mi exoptatissime Sponse, quid vis me fa-
cere? Jube quid velis, & da ut velim ac faciã
quod jubes. Scio te esse dominum & caput
meum: Scio autem & hoc, quòd ex me non
satis nõrim aut intelligam, quid facere de-
beam: Semper in hac vitã directione tuã o-
pus habeo. Si mihi id significaveris obse-
quens ero & paratissima. Hæc scilicet haud
dubiè interrogatio Sponsæ Ecclesiæ grata &
accepta illa vox est, quã Christus prædicat,
imò propter quam ipsius formam prædicat.
Quisquis homo Christũ pro cordis sui deli-
rijs habet, & ad ipsiõnutũ ac volũtatẽ omnia
facere ac pati paratus est, illi est acceptus.

Quid autem suæ Sponsæ, h. e. turbæ fide-
lium, quæ avidissimè expectat verbum &
responsonem suam; quid illi, inquam, re-
spondet? quid eam facere jubet? Nec enim
putandum, quod Christus, cujus in labijs

F

gra-

gratia diffusa est, nihil ei respondeat, eamq; à se suæ voluntatis ignaram dimittat. Responsum Christi brevissimis constat verbis, sed magna in se complectitur mysteria, Tria hæc scilicet potissimum.

Primùm enim amantium more Sponsæ suæ quasi blanditur, dùm vocat eam amicam suam, & formosam. Unde verò hoc Domine? nunquid opus tibi est ejus benevolentia, ut eam tot verbis usq; adeò amatorijs ambias, ac tibi concilies? Sed benè habet. Cubiculi tui mysterium hoc est, quod per te cognovi. Nihil illa pulchritudinis habet, nisi quam à tua gratia habet: à te accepit omne illud, unde tibi chara est. Quoties igitur eusq; laudatur Sponsa tua, toties prædicari audio tua beneficia in eam & omnia vera ejus membra collata. Tuo hoc mundo & splendore si quis hominum non incedit, formosus non est, nulloq; modo tibi placere potest, ejicietur in tenebras exteriores. O igitur verè beatum illum, qui unicè hoc meditatur & agit in omni vita sua, ut tibi placeat? Idq; fit, dùm non in propria, sed tuâ justitiâ pulcher est.

Alterum mysterium responsi tui continetur in voce illa præceptiva SURGE. Quale nam illud? Nimirum vides, ò JESU, omnes nos lapsos esse in peccatum, & turpi-
ter

Matth. 22,
v. 12.

ter pariter ac miserè jacere: Vides nemi- *Ezech. 16.*
nè esse, qui nobis manus auxiliatrices por- *v. 6.*
rigat. Dixisti igitur, imò adhuc dicis mihi,
& unicuique misero peccatori, ut est apud
Prophetam, *V I V E, V I V E*: Surge, qui ita
miserè in peccatorum cœno jaces, ad iustiti- *v. 7.*
am: *Surge*, qui dejecto animo es, propter
commillas iniquitates tuas, ad pacem &
tranquillitatem conscientie: *Surge* (denique
dices) qui mortuus sub terra jaces ad vitam
& beatitudinem. Imò quicumque aliquo
modo jaces, *Surge*. Ita videlicet, pro sum-
ma tua misericordia, & affectu plusquam
paterno semper surgere nos jubes, nemi-
nem jacere vis. Omnium auribus insonat
hæc vox tua, *SURGE*. O miseros homi-
nes, qui tam blandam vocem tuam non
audiunt! æternum illi jacebunt, & per-
ibunt. Nos verò qui surgimus, respira-
mus, & erecti stamus ad verbum & iustio-
nem tuam, per tuam gratiam surgimus &
stamus. Cadimus aliquando? Supponis *Ps. 37, 24.*
nobis, o *DOMINE JESU*, manum tu-
am, ne collidamur.

Ut autem affectum tuum benignissimū
melius declarares Sponsæ tuæ, jubes eā etiā
ad te *VENIRE*, & quidem properè, absque
cunctatione; Idque tertium est mysterium
responsivi tui. Ad quid enim juvaret surre-

xisse, nisi nos tecum etiam esse velles? Vi-
vere non optarem, si non ad te accessus
concederetur mihi. V E N I igitur, VENI,
Sponsæ tuæ dicis. Tecum eam esse vis, non
quòd tu ejus indigeres ministerio, sed quòd
illa tuo auxilio. Tecum eam esse vis, non
solum ut tuam intueatur gloriam, sed ut
tuæ etiam miserationis ac misericordiæ
coronam accipiat, hoc est, ut tuis beneficijs
æternùm fruatur sedens sub umbrâ, quam
desiderat.

Ioh. 17, 24.

Psal. 103, 4.

Cant. 6, 2, 3.

Psal. 30, 4.

Psal. 25, 4.

Coloss. 3, 1.

Psal. 23, 6.

Et sic, Domine miserationum, reduxisti
ab inferno animam meam. Quomodo au-
tem ad te venitur? Vias tuas demonstra
mihi, & semitas tuas edoce me. Venio ad
te cum à me ipso exiens, & in omni meâ ju-
sticiâ desperans, omnem spem & totius meæ
fiduciæ certitudinem pono in precioso san-
guine tuo, qui effusus est propter me & salu-
tem meam. Venio ad te, cum quæ sursum
sunt, ubi Tu es, non quæ super terram, quæ-
ro. Venio ad te, cum ad verbi tui amissim
omnem vitam meam instituere incipio, &
omnis delectatio mea est tuis ingredi vesti-
gijs. D O M I N E J E S U misericordiæ tuæ
opus est, quod jubes me surgere, & ad te ve-
nire. Subsequatur ea me omnibus diebus
vitæ meæ; ut nullo non tempore surgam, &
ad te venire properem. Tecum ego sum?

Ma-

Malè mihi esse nequit : felicitas nulla mihi
deerit. Tu bonus es, & tuo beneficio bonus
ero. Venio ad te? ad lumen venio, & ab il-
lo illuminabor & ipse : dispellentur omnes
nativæ tenebræ meæ. ô quanta felicitas
erit mihi, cum apud T E in portu sempiter-
næ felicitatis ab omnibus malis ac pericu-
lis liber ero!



MEDITATIO VI.

Verborum,

Cap. 2, v. 16. Capit. 6, 2.

Capit. 7, v. 10.

DILECTUS MEUS MIHI,
Et ego illi.

DULCE sanè amici nomen est : dulcis
amici candidi ac sinceri, vel post cine-
res, memoria. Amicos paravimus nobis?
oculos paravimus quibus videmus, & aures,
quibus, quæ decet, audimus. Verùm ami-
cum talem quàm difficile est reperire? Di-
ligendus qui est, multo cum labore deli-
gendus est. Et quasi aurum igne, sic delectus
ille in adversis tantùm rebus probandus est.
Accidunt tempora, cùm necesse habemus

de ijs etiam, quos pro veris ac spectatis ali-
quantisper habuimus, exclamare: ô amici
nemo amicus! Novi tamen & habeo ego
Unum, qui verus & sincerus, qui constans
& perpetuus est amicus meus. Ego eum di-
lectum meum voco, isq; me vicissim dile-
ctæ suæ nomine dignatur. In eo exultat
Spiritus meus, & omnia quæ intra me
sunt, super memoria ejus. Is est Christus
Dei viventis & omnipotentis, juxta etiam
immaculatæ virginis FILIUS. Quid enim
prohibere possit, quò minus nomen san-
ctum ejus significem? Imò is affectus in me
est, ut cupiam DILECTI hujus mei notiti-
am per totum mundum increbrescere. Sed
& illum Amicum meum utinam comunè
habere possim cum omnibus hominibus,
qui sunt, & futuri sunt unquodam! Et ut pio
voto hoc meo noticia DILECTI mei ad mul-
tos perveniat, Benedicam eum omni tempo-
re, semper laus ejus in ore meo erit, quantum
tamen per gratiã ipsius possum: in altera e-
nim illa vita cū similibus beatis Angelis ero,
& mihi familiaris quædam cū illis societas
erit, de misericordijs ejus in æternū plena,
perfecta & omnibus modis absoluta canta-
bo, id quod beatissimæ illius vitæ conditio
me procul dubio docebit. O vos omnes, qui
afflicti estis in his terris, audite & lætamini:

Ve-

Pf. 34, 1.

Matt. 22, 30

Pf. 89, 1.

Vestrarum refero consolationum fontem,
dum laudes DILECTI MEI refero. Initium
verò illarum à quonam benignitatis ac mi-
sericordiæ ejus opere petam? Quid nam se-
cundo, tertio, & cæteris locis reservem?
Quem finem, quam clausulam prædicatio-
nis hujus meæ inveniam? Sed quid ego et-
iam de clausula sollicita sum? Beneficio-
rū ejus in me multitudinē ac magnitudinē
neq; meditationibus meis compræhendere,
neq; linguâ meâ, si vel Angelica mihi esset,
eloqui possim. Toto igitur affectu & pau-
cis verbis omnia compræhendens dicā per
omnem vitā meā: DILECTUS MEUS MIHI.

Quid autem sibi vult hic sermo trunca-
tus? roget aliquis. Dicam igitur. DILECTUS
MEUS MIHI adjunxit se, cum mortua eram
in peccatis, & me vivificavit, condonatis
mihi omnibus peccatis. O qualis ac quanta
hæc fuit dilectio! Talem amicum ego ne spe-
rare quidē poterā. Omnis justitia mea, imò
omnis imaginis in me divinæ splendor, e-
heu perierat, verū hic DILECTUS MEUS MI-
HI factus est justitia, sapiētia, sanctificatio,
& redemptio. Utq; imaginem divinā in no-
bis restauraret, obediens factus est, usq; ad
mortem, mortē autem famosissimā crucis.
Eam in se labens volensq; suscepit ac susti-
nuit. Si hoc summæ dilectionis opus nō est

*Coloss. 2, 13.
Ephes. 2, 5.*

1. Cor. 1, 30.

Phil. 2, 8.



summum, ecquis, quod superet illud, refe-
 ret mihi? Vivo igitur (verè dicere pius qui-
 libet potest) sed addo tamen etiam hoc: DI-
 LECTUS MEUS MIHI hoc dat, quod vivo.
 Non ego jam vivo, sed in me ille vivit. Ju-
 stus jam sum ego, sed DILECTUS MEUS MI-
 HI suam imputat & impertit justitiam. Bea-
 tus jam sum, sed DILECTUS MEUS MIHI spei
 hujus *πληροφωσία* conciliavit & tribuit
 in Evangelio. Interim dum finè fidei & spei
 meæ expecto, salutem nimirum animæ, &
 excellenter æternum illud pondus gloriæ,
 quotidie equidè in angustijs sum, varijs cir-
 cumvallor periculis, pane lacrymarum ci-
 bat me Deus, & potat me lacrymis mensurâ
 magnâ: Ac ne desperem, DILECTUS MEUS
 MIHI Spiritum dat roboris, Spiritum fidei,
 Spiritum gratiæ ac precum. Absq; eo esset
 qui crucè sustineret hæc mea imbecillitas?
 Cum deniq; terrena hæc omnia, unâ cum
 ipsa vita, reliquero, quid faciã? quis amicus
 erit? quem adiutorè petam? quis à partibus
 meis erit? Nû, qui me genuère, parentes? Nû
 qui ex me procreati sunt? Num uxor? Num
 fratres, adfines, vicini, cognati, cõtribules?
 Nemo horum: DILECTUS verò MEUS MI-
 HI adicit CHRISTUS, & in rimis vulnerum
 suorum monstrabit mihi, quo amaritudinè
 omnem mortis vincere poterò. Miseri-
 cor-

Gal. 2, 20.

1. Pet. 1, 9.

2. Cor. 4,

17.

Psal. 80, 6.

2. Tim. 1, 7.

2. Cor. 4,

13.

Zach. 12, 10.

cordia ejus, quâ me coronat in hac vita, *Psal. 103, 4.*
facit ut à bonitate ejus etiam justitiæ co- *2. Tim. 4, 8.*
ronam me accepturum in alterâ vita spe-
rem ac confidam. Et, ut pro spe ac fiduciâ
hac, tunc adistere mihi, & secundum bo-
nam voluntatem suam agere mecum ve-
lit, oro eum per omnia summæ dilectio-
nis suæ opera, quæ exhibuit miseris no-
bis hominibus. **DOMINE JESU** Maxi-
ma jampridem, ad me redimendum, fe-
cisti: quantulum est quod restat? Restat
nimirum ut me per tuam gratiam in fide,
usque ad finem vitæ conserves, & ad æ-
ternæ vitæ jucunditates perducas. Mihi
quidem maximum hoc beneficium erit,
quo impetrato, amplius nihil quidquam
desidera vero: Tibi verò id mihi præstare,
& me, ad id abs te accipiendum, præpa-
rare, grave tibi nullo modo esse potest.

Quid verò **DILECTO MEO**, pro his
omnibus summæ dilectionis ejus operi-
bus præstitis mihi, rependam? Sanè in-
me nihil quicquam est. Si tamen aliquid
est, ab eo illud ipsum petere necesse ha-
beo. Et illud hoc est. Sicut **IPSE** est **A-**
MICUS MEUS, qui summæ dilectionis
opera præstitit **MIHI** ad salutem meam:
ita **ET EGO ILLI** me dem, exhibeam,
scribam, conservem, per fidem, Sponsam,

F 5

quæ

quæ illum unicè diligat, quæ illi adhære-
at, quæ ab eo & ejus amoribus nunquam
recedat, nusquam alias amicitias quæ-
rat, in eos, qui in mundo hoc amici sunt,
nullam fiduciam ponat. Talem EGO IL-
LI Sponsam me semper exhibeam. De
CHRISTO Domino, Sponso, & dilecto
hoc meo cum solus sum (sic ego loquor
Ecclesiæ membrum) meditationes meæ
sint; de eo sermones mei, cum sum apud
homines: de eo nocturna mea somnia a-

Pf. 138. v. 18 gant: Evigilo? adhuc ego cum EO sum,
& offerant se nova eum laudandi argu-

Esa. 49. 16. menta. Dominus ille meus, dilectus il-
le Sponsus meus consignavit me in ma-
nus suas, juxta rimas vulnerum suorum:
scribam igitur ego illum in cor meum,
peccatis vulneratum, intercedente verâ
pœnitentiâ, & sedulâ meditatione meri-
torum ejus.

Talem Sponsam, DOMINE, me esse
Tibi, non dico, sed talem me esse debere.
Scio ac confiteor: ad perfectam ejusmo-
di obedientiam, & sine nævis vitam, in-
tegram ac plenam laudem summorum
beneficiorum tuorum, in hac mea fragi-
litate pervenire non possum: nec tu ejus-
modi perfecta à me posces aut requires.
Oro autem, mi DOMINE, me, quem sub
palli.

pallium justitiæ tuæ, ex tua gratia recepisti, sub eodem occulta, & conserva. satis enim prolixum, & amplum illud est, ut *Esa. 28, 20* me cum alijs omnibus sub id, per fidem, confugientibus, benè ac plenè operire possit.

MEDITATIO VII.

Verborum

Capit. 3. vers. 1.

IN LECTULO ME O, PER noctes quæsi, quem diligit anima mea; quæsi illum, & non inveni. &c.

INTERROGET me fortassis aliquis: Quomodo ardor iste tuus in CHRISTUM est accensus? Unde tantas flammæ accepit? quâ viâ ad istam cognitionem amoris ejus in te venisti? Dicam igitur apertè; nec enim ejusmodi res celari aut possunt, aut debent. Credo in eum, *Ps. 16, 7, 8* igitur & loquar. Diligo illum sincerè, quâ fieri possit, ut in occulto amor ille meus sit?

Nox

Nox circa me erat profunda admodum
& tenebrosa, cum nihil omnino rerum
istarum, quæ jam usque adeo me exhila-
rant, cernere poteram. Et tamen in men-
tem mihi, per Dei Spiritum, veniebat
EUM quærere, quem jam animitus dili-
go. At nox illa, illeq; lectulus meus eum
mihi non dederunt inventum. Nox enim
quid aliud erat, quam peccatum? Lectu-
lus meus quid, quam carnis infirmitas?
Peccatum obsederat me, carnis infirmi-
tate circumdatus eram. Lectulus meus
etiam erat sapientia carnis. In his quid
boni invenirem? Sapientia carnis qualis
fit ex Pauli Apostoli verbis manifestum
mihi. Animalis homo, inquit ille, non
percipit, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia
enim illi sunt, nec potest intelligere. Pro-
inde animæ jam meæ dilectum Christum
reperire minimè potui: siquidem eum
quærebam neque sicut, neque ubi debe-
bam. Deceptus sum, & decipiuntur om-
nes illi, qui cæcâ ratione humanâ, & vi-
ribus carnis debilissimis CHRISTUM
se reperturos arbitrantur. Non in nocte,
sed in die; non in meo, sed in ejus lecto
illo florido quærere eum debuissim. Ego
ita deceptus *Surgam, inquebam, & circui-
bo civitatem, & in omnibus plateis quæram dile-
lectum*


1. Cor. 2, 14.

lectum meum. Verùm etiam in hoc laboravi frustra: civitas, civitatis plateæ, & omnes anguli ejus, quos perreptavi anxius, mearum deliciarum nihil secum habebant. Quæ verò illa est civitas? quænam plateæ? qui anguli ejus? Humana nimirum consilia, suffragia, industria, inventa, sollicitudo, labor, curæ &c. Quin etiam CUSTODES noctu civitatem circummeuntes, qui invenerunt me, interrogavi: *Num vidistis, quem diligit anima mea?* At illi nec viderant, nec audierant eum: obmutescentes igitur nihil responsi mihi dabant. Per custodes illos civitatis intelligo Pseudoëpiscopos, Pseudotheologos, Sophistas, Doctores traditionum humanarum, decretorum prædicatores, & qui porrò à tenebrarum principe in hunc mundum missi pro custodibus sanctæ civitatis haberi volunt, cum tamen nihil minus faciunt, quàm ut excubias agant supra populum DOMINI. Hi, inquam, ad interrogationem meam de CHRISTO, obmutescabant, quia cognitionis ejus veræ ne micam quidem habebant. Quid igitur instarem rogando ejusmodi vulgus tenebrosum? Quid apud eos commorarer diutiùs? Floccipendebam & præteribam eos, in quo rectè me fecisse paulò post depræhendi:
præ-

prætergressus enim non longè accessi ad
studium sacrarum literarum: legi in illis
Prophetarum vaticinia, Evangelium Jo-
annis, Pauli Epistolas, aliosq; Sacrosan-
ctæ Scripturæ libros. Hi mihi CHRIS-
TUM, in cubiculo suo monstrârunt. Ad
hos nisi venissem, nullam flammâ amo-
ris in me ejus concepissem. Postquam
autem ex tenebris in lucem veni: deserto
lecto meo, in cubiculum & lectum Chri-
sti admissus sum: oris ejus oscula accepi:
effusum unguentum gloriosissimi ejus
nominis odoratus sum: Postquam, in-
quam, hæc omnia per fidem consecutus
sum, salva facta est anima mea, & ita
CHRISTUM adscribo mihi, ac si pro-
pter me solum descendisset de cœlo, &
incarnatus esset: pallio justitiæ ejus me
involvo, ac si nemo alter perinde, ut e-
go, opus eo haberet: ex vulneribus ejus
omnia ea fidenter usurpo mihi, quæ ad
salutem meam faciunt. Et, quod fir-
missimè credo, ob hoc ipsum desiderium
ejus in me est: ob hoc denique in ulnis
ejus requies mihi confirmata & munita
est. DOMINE JESU te reperi, te re-
pertum teneo & tenebo, à te nullatenus
volo segregari. Te quotidie rogabo; In-
clina cor meum ad tua testimonia: sancti-
fica

Psa. 119. 36.

fica me in via tua. Te inventum in do-
mum Evæ matris meæ ad fratres sorores-
que introducam, ut & illis lux cognitio-
nistuæ oriatur, & similiter in cubiculi
tui quietem & secreta recipiantur, ibiq;
æternam beatitudinem, & beatam æter-
nitatem consequantur. Manum tuam
super me extende, ne quis hanc quietem
meam beatam impediat aut interturbet
mihi!



MEDITATIO VIII.

Verborum.

Capit. 4. v. 7.

TOTA PULCHRA ES,

ô Amica mea, & macula
non est in te.

MIROR, ô mi DOMINE JESU;
quòd tam magnificè de me sen-
tias & loquaris, me tot laudibus extollas.
Me, inquam, quæ nigra sum non unâ de
causâ. Denigravit n. me iniquitas mea.
in

in qua concepta & nata sum: decolora-
verunt me peccata mea, quæ in omni vi-
tâ meâ perpetravi: deformat me carnis
meæ hæreditaria debilitas, quæ me non
sinit operam dare ei pulchritudini, quæ
tibi placere possit. Et si quid facio quod
titulum boni operis nanciscitur, illud ta-
men coram te non audeo ullo modo ja-
ctare. Mancum id est: laborat imperfe-
ctione: ex lucta carnis contra spiritum,
commaculatum est: rigorem judicij tui
non potest sustinere. Si quid tamen illud
est, tantum fidei meæ argumentum est, &
cedere debet in utilitatem proximi mei.
Coram tuo tribunali pulchrior inde esse
Esa. 26, 12. non possum. Et quidem omnia opera no-
stra bona (si quæ tamen ita appellanda)
non nostra sunt, sed quia tibi, tanquam
viti palmes, inserta sum, tu illa in me o-
peraris. Si quid tibi, sed in tuis, obtulero
sacrificij, dilectionis scilicet, tua ex tuis
obtulero. Et si fecissem omnia quæ præ-
cepta sunt, imperfectam tamen me esse,
nosse ac confiteri deberem: semper ma-
la mihi insunt, quæ de flere necesse ha-
beo.

Hæc dum meditor, profectò mihi in-
mentem venit, quare me tot encomiis ex-
ornes: Unde enim pulchra sum? unde
sine

sine macula? quomodo hæc intelligam?

DOMINE quid est homo, quòd agnoscis; *Psal. 144.*

aut filius hominis, quòd reputas eum? *v. 3.*

Verùm & hoc mysterium est cubiculi
tui, quòd me scire fecisti, & quòd coram
omni populo prædicare debita jubet me
gratitudo In me; in me, inquam, misera-
lum, & nigra: naturæ meæ turpitudinem,
satis deplorare non possum: A præsentia
autem & miro decòre tuo, quo me cir-
cumradias, ô dilecte mi Sponse, fulgeo
Tibi. Quamdiu Tu mihi non defueris,
pulchritudinis inops nõ ero. Tu qui uni-
ce pulcher es, avertis faciem à peccatis
meis. In me nihil vides, unde tibi placeã, *Pf. 51. v. 12.*
& tamen placeo: vides enim sanguinem
tuum, quo me aspersisti, & delevisti ini-
quitatē meam, ut jam in me nulla sit con-
demnatio. Ille sanguis tuus pro me nisi *Rom. 8. v. 1.*
interpellaret, utiq; tibi nõ placerem, sal-
va esse non possem. Sufficit igitur mihi
ad pulchritudinem scire, quòd non ego,
sed Tu pulcher sis. Verùm ut rem in pau-
ca conferam verbis Apostoli: abluta
sum, sanctificata sum. justificata sum,
in TUO nomine ô JESU, & in Spiritu *1. Cor. 6. 11.*
DEI nostri. Hinc quia te Sponsum meū
fide apprehendo, forma mea tibi placet:
acceptas opera mea facta in fide, eorum.

G

imper-

imperfectionem ac navos adherentes il-
lis legis perfectissimâ tuâ justitiâ. Primi-
tias novæ obedientiæ meæ in optimam
partem interpretaris, & præclarissimis
encomiis justitiæ exornas. Quærant alij
placere tibi in meritis suis, quid hoc ad
Pf. 73. v. 28. me? Mihi ad omnem & veram pulchri-
tudinem bonum est & sufficit, quod TIBI
adhæreo. In hac justitiâ partâ mihi san-
guine tuo, tuâ & morte; oblatâ mihi in
verbo tuo, confirmatâ in Sacramentis;
imputatâ deniquè mihi per fidem, grati-
am tecum invenire studebo, imò jam me
invenisse nullatenus dubitabo. In ea o-
mnis gloriatio mea: In ea superbio con-
tra diabolum, & omnes tentationes ejus.
Et gloriatio hæc mea in te & meritis tuis;
tibi non ingrata erit: cedit enim in lau-
dem meritorum tuorum. Talis itaque
per temetipsum facta quam tibi gratitu-
dinem exhibeam? vel si totis animæ &
corporis laboribus desudem, totisque
viribus obedientiæ exercear, nihil tamen
pro his tantis beneficiis tuis compensare
& offerre valeo. Tu me condecorasti,
Tu me honorasti non verbis nudis, sed
summo & maximo tui amoris opere.
Tu nihil quicquam mihi prætulisti: Da
igitur, ut etiam ipsa nihil tibi præferam,
&

& dignè semper ambulem cubiculo sa-
cro sancti verbi tui. AMEN.

MEDITATIO IX.

Verborum

Capit. 5, v. 1.

VENIAT DILECTUS
meus in Hortum suum, &
comedat fructum pomorum
suorum.

Postquam igitur, o anima mea, factus
ego sum, per fidem membrum Eccle-
siae, quae CHRISTO usq; adeo dilecta
Sponsa est, causas habeo, cur impense
gaudeam in illo Salvatore meo, quod &
ipsum fructus est Spiritus sancti, qui in
hoc Ecclesiae horto crescere omnino de-
bet. Gaudens gaudebo (dicendum mihi *Esa. 61, 10*
cum Propheta) in DOMINO, & exultabit
anima mea in DEO meo; quia induit me
vestimento salutis, & indumento iustitiae.

G 2

cir-

Cant. cap
4. v. 12.

circumdedit me. Verum sunt & alia quotidie mihi facienda, quorum rationem exactam maxime habere debeam. Quænam verò illa? quæris. **HORTUM** vocat **CHRISTUS** Ecclesiam suam, & quidem *hortum conclusum*. Ex hac ipsa appellatione constat **CHRISTUM** velle, ut Ecclesia & omnia ejus membra fructus ferant, & custodiant illos. **HORTUS** enim quid est, si absq; fructib. est? Hortus quid est, qui non est conclusus, & fructus suos non potest defendere? Necesse igitur est, ut & ipse, qui sum plantatus in horto hoc Dominico, non sterilis sim, sed quotidie, etiam in hac senecta mea, florescam, & fructus feram nobiles, h. e. quos ipse **CHRISTUS** acceptet, & pro suis habere possit. Fructus illi opera sunt fidei veræ. **DOMINE** ne sine deficiat fides mea, & non deficient fructus ejus: lucem fidei splendere jube in corde meo semper, & tenebrarum operibus locus non erit. Deinde quid est hortus ferax optimarum frugum, qui desertus est ab omnibus, in quem nemo unquam venit, quo nemo delectatur, in quo arbores ramos suos frustra ad terram incurvant? Ecquid ejusmodi hortus est, cujus amenitas nullius est? Ex hoc nimirum apparet,

paret, esse, quem ad decerpendum fructus meos vocare debeam, Quis autem ille? Furibus certe occlusus hortus esse debet, patere autem domino suo, suo colono, suo plantatori, & quos ille secum in hortum suum ducit. Voco igitur & Ego & unaquæque plantatio in hoc Ecclesiæ horto Dominum meum JESUM CHRISTUM dicens: VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM, ET COMEDAT FRUCTUS POMORUM SUORUM. Domine mi, pars tui horti sum, manus tuæ plantaverunt me: Tu me verbo tuo, tuo Spiritu, tuâ gratiâ rigas & vegetas. Quodcunq; in me viride est, florescit, amœnum est, delectare ullo modo potest, à te illud habeo: quicunq; in me nascuntur fructus, tuæ gratiæ zephyrus gignit & producit eos: nihil illorum mihi, omnes verò tibi tribui. VENI igitur DOMINE, & respice ad hos fructus tuos, accipe illos, accepti tibi sint & grati. Adduc tecum tuos amicos, fratres, sorores, h. e. eos, qui in his terris miseri sunt, & ejusmodi fructibus fidei opus habent, ut illis secundum verbum & imperium tuum fructus in me tuos comedendos porrigam. Tu enim non esuris: si esurires, non diceres mihi, quia orbis tuus est, &

Ps. 50. v. 12.

plenitudo ejus: Tu ipse bonorum ope-
Pf. 16. v. 2. rum non indiges, nisi in hisce tuis. Illos
Matth. 25. v. 35. vis comedere, & satiari inde. Venias au-
tem Tu, h. e. præsens mihi semper adis, ut
arbor sim justitiæ & plantatio tua ad glo-
Isa. 61. v. 3. riâcandū. Absq; te n. in nobis neuna qui-
dem boni succi guttula est, nihil vigoris,
nihil floris. Et quia hortus patens omnib.
arborū suarum fructūs à furibus & bestis
noxiiis defendere nequit, ipsæ etiam ar-
bores sæpenumerò eruantur radicitus,
aut bipennibus humi sternuntur, & in-
frusta secantur: oro te, ut tu ipse horti
istius tui rationem habeas, illum defen-
das, munias, imò ipsius ostium ipsemet
esse velis: sic enim tutæ erimus omnes
plantationes tuæ, & fructus earum ad te,
aut tuos potius amicos pervenient. De-
nique ò DILECTE mi, me in hoc horto
tuo conserva, donec me conservas: con-
serva frugiferum: sterilefcere nunquam
me sine: fidei denique fructibus decora-
tum me ex hac mortalitate ad Para-
disi æternas amœnitates trans-
fer. AMEN.

MEDI-

MEDITATIO X.

Verborum.

Capit. 5. v. 2.

EGO DORMIO, SED
Cor meum vigilat.

Conditio mea, donec hinc sum, in vi-
ta inter peccatores, non uniusmodi *Sap. 4, v. 10*
est, sed varia. Sto, cado. in luctis meis vin-
co, prosternor; tristis sum, lætor. Venias
aliquando ad me, JESU, tanquã in hor-
tum tuum, & fructus habebò per tuam
gratiam, & venias, cum per carnis infir-
mitatem aut nullos, aut raros, aut imma-
turos reperies. Et quid hoc mirum? Lapsis
in peccata nihil omnino stabile est no-
bis, nihil continuũ. Hoc tibi, DOMINE
mi, conqueror miser ego homo. Tibi, in-
quam, conqueror hoc: Tu enim mihi
potes mederi in hac varietate conditio-
num mearum. Omnes autem illas com-
prehendo verbis hisce paucis: EGO
DORMIO, ET COR MEUM
VIGILAT. Quid? dormis? quis il-
le somnus tuus? roget aliquis.

G 4

Dormio

Rom. 7, 18.

Dormio eheu ! cum infirma hæc caro
mea retrahit me , quod sæpenumerò fit,
ut CHRISTUM Dominum meum
non indefessè & perfecto amore sequar.
Debebam semper ad opera fidei præstan-
da , CHRISTO & proximo meo vigi-
lare & intentus esse , sed oculos meos so-
mnus obrepit, ut & CHRISTI, & proxi-
mi, imò & meipsum obliviscar. Quid
facere debeam, scio, & per tuam gratiam
id volo, sed pecco nolens. Velle adjacet
mihi, perficere autem non inveni me-
cum. Stare volo, & caveo mihi à lapsi-
bus; sed cado tamen, postquam primi
parentes nostri lapsi sunt primùm. At-
que ita similis sum in profundo somno
per febrim, aut ebrietatem jacenti, qui
facit & loquitur, quæ prorsus non fa-
ceret aut loqueretur, si vigilaret, si sa-
nus, si sobrius esset. Atque ita neces-
se semper habeo ad DEUM ingemi-
scere, ut me excitet, veternum hunc de-
primat & fuget, peccata mihi non impu-
tet, non sinat ea nocere mihi, quemad-
modum dormientibus & ægris propitij
nos sumus, eaque nocere non sinimus
per dilectionem, quæ fecerunt, & lo-
cuti illi sunt per ignorantiam.

Et

Et hæc querela mea in hoc sermone, imò in
quotidianis meis cum Christo soliloquijs,
primaria pars est. Considero autem etiam
cor meum? **DICO, VIGILAT COR
MEUM** in his carnis miserijs per gratiam
& Spiritum Christi dilecti mei Servatoris.
Vigilat, inquam: id quod ex eo manife-
stum, quod novi vocem Christi pulsantis
& vocantis me, cum peccatorum onere de-
pressus sum, cumq; eorum remissionem &
veram justitiam desidero: cum quid con-
scientiam sauciam in tranquillitatem resti-
tuere possit, quero. Ad Christum ut veni-
am, si qua vox tunc me vocat, eam Christi
esse novi, & credo. Vigilat per fidem in il-
lum nullatenus dubitans de benigno in-
nos affectu Dei, qui vult omnes homines ^{1. Tim. 2. 4.}
salvos fieri: qui castigat quidem nos, sed ^{Ps. 118, 18.}
morti nō tradit: cui pro peccato magno, si
respuerimus, paululum supplicij satis est:
qui ab interitu vitam nostram eripit, gra- ^{Ps. 103. 4.}
tia & miserationibus nos coronat. Hanc
vocem siquidem audio, agnosco, ratam &
gratam habeo, nō dormitat, sed vigilat cor
meum salubriter. Sic igitur vigilans per fi-
dem in Christum & vocem ejus, intelligo
quomodo mihi cum eo agendum in preci-
bus: certus sum ad quid poculum crucis &
macerorum mihi conducatur: Video qua via

G s ad

ad salutarem & beatum exitum vitæ meæ
perveniam: Scio deniq; quid post beatam
mortem mihi & omnibus in CHRISTUM
credentibus expectandum sit. DOMINE
JESU has beatissimas cordis mei vigilias,
quæ tui, tuæq; vocis notitiam habent, et-
iam in naturali somno meo, & in car-
nis meæ infirmitatibus conser-
va mihi perpetuam,
A.M.E.N.

MEDITATIO XI.

Verborum

Capit. 5. vers. 10.

DILECTUS MEUS
Candidus & rubicundus est.

Pf. 51. v. 6. **I**NIQUITATEM meam ego, cum
Psalte Regio, cognosco, & peccatum
meum coram me est semper.

Pf. 143. 2. Quotidie igitur orandam mihi: Domine
ne intres in iudicium cum servo tuo, corâ
te enim non justificabitur omnis vivens. O
miseram profectò querelam! O omnibus
nobis communem lamentationē! Verum

ob

ob hoc ne despera, o anima mea: Sapiencia *Pf. 52. 9.*
enim abscondita manifestata est mihi, quæ
me vicissim consolatur, erigit, bono animo
esse jubet. Quæ verò illa? Non mihi lamen-
randum solum, sed etiam gloriandum. Glo-
riandum autem? in quonam homine? quæ
in re? in quo opere? Qui gloriari vult, in *2. Cor. 11. 1.*
Domino gloriatur. Quis autem ille Do- *Gal. 2. 20.*
minus? Qui dilexit me, & tradidit semet-
ipsum pro me in mortem, mortem autem
crucis: qui factus est mihi a Deo justitia, *Phil. 2. 8.*
sanctificatio, sapientia, redemptio: qui *1. Cor. 1. 30.*
portavit omnium peccata nostra in cruce. *Pf. 53. 4.*
Glorior igitur in EO, & absit mihi glo- *Gal. 6. 14.*
riari nisi in cruce ejus, quia ab eo redem-
tus sum, justificatus sum, Ecclesie Spon-
sæ ejus per fidem insertus sum. Hæc mea
gloriatio in Domino major est, quam ut
cum aliqua ullius vel optimi hominis glo-
riatione conferri possit. Ecquid enim ho-
mo in se habet, in quo gloriari possit? Ima-
ginem Dei? At illam eheu habuimus! ejus pos-
sessionem fraude serpentis satis mature a-
misimus. Instauracionem illius per Chri-
stum? Atqui illius integram fruitionem
tunc demum habebimus, cum hac mortali-
tate deposita vitæ æternæ hereditatem
obtrinebimus. An fortassis reliquias illas

ima-

imaginis divinæ, quas in homine lapso Deus superstites esse voluit? Atqui illæ tennes sunt, per peccatum obscuratæ sunt, labefactatæ sunt. Suas quidem habent illæ causas, propter quas Deus eas reliquerit, in illis verò nihil est, quod aliquam gloriationem nobis suadere possit. Ubi aliquid igitur reperero, quod mihi causam aliquam gloriandi suppeditet? Dixi jam antea. Gloratio mea omnis in Domino est: Dominus enim ille meus, quem unice diligo, imò qui me prior dilexit, **EST CANDIDUS**, pulcher, purus, immaculatus, nullo peccato inquinatus, speciosus præ filiis hominum: peccati eum arguere nemo unquam potuit. Innocentia ejus vel ab ipsis hostibus agnita & contestata est sæpenumerò. Quid? quòd ut Deus, sive juxta divinitatem suam, ipsa met justitia est, justitiæ fons est, lux & dies est? Illius lucis suæ, sui nitoris ac jubaris, quâ in humanitate sua gloriosus resplendit, me & omnes in eum credentes participes facit, ut & nos coram ipso justitiâ splendeamus, haud secus ac si ipsi Legi divinæ plenariam illam obedientiam præstitissemus. Sicut enim in Adamo primo peccatores sumus facti, & omnis nitor ac gloriatio nostra periit: ita ab hujus secundi Adami puritate & justitiâ in nos redundat

I. Joh. 4, 19.

Psal. 45, 3.

Ioh. 8, 46.

ju-

justificatio, & gloriatio nostra nobis resti-
tuta est. RUBICUNDUS præterea,
DILECTUS MEUS EST in huma-
nitate scilicet suâ, quod & ipsum ad glo-
riationem meam facit plurimum. Quis
autem & unde rubor ille? Summa oppro-
bria ô Jesu, crucis tulisti: sanguinem tuum
innocentissimum largè effudisti: æternæ
mortis amaritudinem sustinuisti. Inde ni- *Es. 63, 2.3.*
mirum rubrum est indumentum tuum; in-
de vestimenta tua sicut calcantium in tor-
culari. Tu, ô Domine mi, torcular passio-
num nostrarum solus calcasti, & de genti-
bus nemo ad id tibi auxilio fuit. Mearum
& totius mundi (inquam) passionum tor-
cular te rubicundum fecit: quomodo ergo
in hoc tuo rubore, h. e. sanguine ego non
glorier? Sanguis enim hic tuus gratiæ dilu- *Isa. 1, 18.*
vium est, quod delicta mea, quæ superant
omnem ruborem vel coccineum, nive can-
didiora facit. Sanguis tuus emundat me ab
omni peccato. Quod si enim in Veteri Te- *1. Ioh. 1, 7.*
stamento sanguis taurorum & hircorum & *Num. 19, 2.*
cinis vitulæ rubæ asspersus sanctificavit *Heb. 9, 13.*
homines ad carnis puritatem, quantò ma-
gis sanguis T U U S, qui per Spiritum æ-
ternum reipsum obrulisti inculpatum Deo,
purgabit conscientias nostras ab operibus
mortuis?

O DO-

O Domine mi, niger ego sum, TU CANDIDUS, ET RUBICUNDUS ES. Candori tuo nihil decedet, si per eundem ego candidus fiam. Per mea peccata, quæ abluo & dealbar, non sordidabitur aut nigrescet SANGUIS Tuus. Manes qui es candidus; manet & manebit etiam rubentissimus sanguis tuus mihi & omnibus, qui in te credunt, ad delenda peccata, lavacrum dignum & sufficiens, quamdiu in hac mortalitate nostra aliquid sordium & inquinamenti adjacebit nobis. GLORIA sit tuo Candori, laus & honor tuo rubori, O JESU DOMINE mi, AMEN.



MEDITATIO XII. Verborum.

Capit. 5. v. 13.

LARIA EJUS LILIA, DISTILLANTIA Myrrham.

IN campum laudum tuarum Ecclesia digressa, O JESU, inter cætera te laudat a LABIIS tuis suavissimis. De illis meditari fert animus meus salutare aliquid, in



in quo me rō adjuva Spiritu Sancto
tuo. Diffusa est gratia in labijs tuis; *Ps. 45. 3.*
Chore de te jam pridem in coronā suā nu-
pualiter cecinerunt. Quā bene! Si quam
enim gratiam à primo mundi exordio pec-
cator invenit, quā cor contritum & Spi-
ritum contribulatum suum consolari po-
teat, illam ubi, nisi in labijs tuis, invenit? In
labijs tuis, h. e. in sacris eloquijs tuis gratia
ea sedem habuit, quæ ex paradiso ejectos
primos parentes nostros conservavit, ne ob
lapsam suam, quō se & omnem posterita-
tem suam in mortem conjecerant, despera-
rent. In LABIIS tuis gratia ea habitavit,
quæ Noham cum familia sua in diluvio
conservavit: non enim putandum, eum sa-
lutem suam suorumq; tenui illi duntaxat
ligno commisisse. A LABIIS tuis pende-
bat Moses & populus Israeliticus, cum ma-
re rubrum transirent tutò. LABIORUM
tuorum gratia fuit, quæ Davidem adversus
Goliath, Philistinos, & alios hostes arma-
vit, & manus ejus docuit ad prælia & mira-
culosa & felicia. *Ps. 144. 17.* Et quid in Ecclesia justo-
rum unquam patratum est, in quo non ad
verba labiorum tuorum respectum habue-
rint pii? Ad illa respiciendum etiam nobis
in omnibus nostris est operibus: ab illis
aures nostræ vertendæ nunquam.

Per

Per LABIA autem TUA non solum ipsum salutiferum tuum intelligo verbum, verum etiam illius fideles & sinceros PRÆCONES, concionatores, & ministros, LABIA illa sua comparat Ecclesia Sponsa LILIIIS. Quam suave! Lilia quo ad colorem, candida sunt; Sabæas verò sylvas miro & per jucundo suo odore imitantur. Quid mihi & omnibus alijs divinarum eloquiorum præconibus hac similitudine significetur, non obscurum est. LABIA sumus Christi? A Christi sanè verbis ne latam unguem discedamus: Veritatis cœlestis LEX in ore nostro sit: iniquitas non inventiatur in illis: custodiamus scientiam & Legem, quam ex ore nostro requirant homines, ut est apud Prophetam, *Malach. 2. v. 7.* Comparamur LILIIIS? puritati igitur & sinceritati studeamus tam in vitæ conversatione, quam in doctrinæ professione, ut *2. Cor. 2, 15.* bonus odor simus Deo, in ijs qui salvi fient; odor nimirum vitæ in vitam. Domine Jesu labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam: ne aufer ab ore meo verbum veritatis unquam. Apparet ex his, Domine, cur Ecclesiam laudans à LABIIS SUIIS, vocas ea coccinea. Nimirum coccinea sunt, quia omnis ejus sermo TE Christum pro salute nostra sanguine aspersum,

*Malach. 2.
v. 7.*

2. Cor. 2, 15.

Pf. 51, 18.

Pf. 11, 43.

*Cant. 4.
ver. 3.*

sum;

sum, ac crucem tuam resonat. Et quæ alia
concio, quæq; alia cantio lætificare cor me-
um posset, quàm quæ est de operibus tuis
quibus redemptus sum? O beata labia, quæ *Psal. 71, 8.*
replentur laude & gloria tua, DOMINE,
tota die!

Ecquid autem illud est, quod CHRISTI
LABIA MYRRHAM STILLANT?
Annè etiam Myrrha aliquid habet quod si-
gnificet? An non Euangelium CHRISTI
mellis dulcedini longè præfertur à Davide? *Psal. 19, 13.*
Quid Euangelio cum myrrha? Amara *Pf. 119, 103.*
myrrha herba est, sed à corruptione servat.
Stillat igitur Euangelium Myrrham: Hoc
est, amara crux eos sequitur, qui per fidem
Euangelio adhærent. Amamus melleas
consolationes Euangelij? etiam crucis
& tribulationum amaritudinem non fugi-
amus, formidemus, abjiciamus. Non in-
gratæ illæ, inquam, nobis sint, quia nostro
bono nobis immittuntur tribulationum,
pluviz. Servat crucis myrrha homines
fideles à corruptione: absq; crucis amari-
tudine insipidi sumus, lapsibus obnoxij,
putredini vicini sumus.

STILLAT autem Euangelium MYR-
RHAM, hoc est, leviter & quasi gutta-
tim, CHRISTE, crucem in nos depluere si-
nis, quemadmodum pluvias illas benedi- *Ezech. 34.*


H

ctas,

v. 25.

Etas, quæ tellurem frugiferam facit.
S^tILLAT, inquam, Myrrham, non eam
totis torrentibus effundit, ut aquam Deus
diluvij. O Domine, quanta est gratia tua,
quanta bonitas! Suavissimam fragrantiam
liliorum labia tua nobis suppeditant lar-
gissimè; crucis autem Myrrham salubrem
parcè & vix guttatim. Medicus nimirum
es omnium peritissimus: scis quid & quan-
tum debilitari nostræ opus sit, scis quid
ferre queat. Tu es Deus noster, Deus ad
salvandum, & Dominus Deus educens ex
morte, Amen.

Psal. 68.



MEDITATIO XIII.

Verborum

Cap. 5, v. 16.

TALIS EST DILECTUS
Meus, & ipse est Amicus
meus.

Psal. 84, 5.

BEATI qui habitant in domo tua, Do-
mine, in secula seculorum laudabunt
te! cum Davide lætus exclamare possum:
In

In domo enim tuâ Sponsa tua cum omni-
bus filiis & filiabus suis tibi genitis sine
sine aliquid pangit & decantat, quod non
in laudem solùm tuam sed etiam in conso-
lationem nostram cedit. Quæ in lau-
dem tuam aut, omnia sunt aurea, omnia
sunt gemmea, omnia ejusmodi, ut æsti-
mari satis non possint. Quæ verò con-
solationi nostræ in medium profert, ea
mellea sunt, sunt mustea, sunt lactea:
nardi fragrantiam superant: longè post
se relinquunt rosarum, liliorum, aroma-
rum denique omnium odores. Si quid
de myrrhæ amaritudine immiscet, id
quoque sine periculo nostro esse docet, &
contestatur. An non autem, ô mulie-
rum pulcherrima (interroget aliquis) ni-
mia es in laudibus Sponsi tui, CHRISTI?
Nunquid certò confidere ego & inniti
possam consolationibus istis, quas de eo mi-
hi tot egregijs verbis deprædicas? Sic mihi
aut alteri cuiquam ex tuis interroganti quid
respondes? quibus mihi fidem facis? Ve-
rùm quorsum hæc ego quæro? cur non ipse
respondeo mihi? Mulierem omnium pul-
cherrimam Ecclesiam vocavi, cum filiabus
sanctis suis. Utique igitur veritatem dicit:
Utique sancta labia sua nullo mendacio

lunt.
eam
Deus
tua,
riam
lar-
orem
irum
nan-
quid
us ad
ns ex

II.

II.

US
CUS

Do-
punt
sum:
In

Ose. 2, 19.

inquinat. Sed respondeat tamen ipsa: **TALIS EST DILECTUS MEUS.** Sic dicit. Qualem meum dilectum descripsi, talis est: qualia & quanta de eo locuta sum, in eo certissimè deprehenderis. Credite mihi, alius non est: non mutatur ipse, ut nos homines. In nemine alio est salus nostra: in eo gloriari debemus & possumus solo: in ejus unius amorem accendamus: post eum curramus: rogemus, ut post se nos rapiatque trahatque: à labijs ejus pendeamus: oscula oris ejus experamus: Odore effusi illius unguenti, Nominis ejus, nos recreemus. Sed quis verissimarum laudum ejus telam integram pertexat? Dixerim; *Talis est dilectus meus;* omnia dixerim. Verùm & hoc summâ cum fiducia dixerim: **ET IPSE EST AMICUS MEUS:** Hoc est, credo quòd **CHRISTUS** me mundavit sanguine suo, & quòd ita lota ipsi pulchra sim. Dixit mihi; mea esto: despondeo Te mihi in sempiternum; despondeo te mihi in justitiâ, & iudicio, & in misericordiâ & miserationibus. Per hanc nimirum fidem, meam **IPSE EST** eritq; **MEUS AMICUS.** Et quidem hæcenus Ecclesia. Peccator autem Ego (dicit non rarò cor meum) quid faciam? Num & ipse devenire

eò

edò possim, ut **CHRISTUS** fiat & sit a-
micus meus? fortassis propter peccata mea,
quæ magna sunt, & quorum non est nume-
rus, faciem suam avertit à me? nunquid *Psal. 27, 230*
& ipse visurus bona **DOMINI** sum in
terra viventium? His ò **DOMINE**
JESU anxijis cogitationibus meis quid
respondes? Hæc nimirum: *Vos amici mei* *Ioh. 15, 14.*
estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Hæc tua
verba sic ego interpretor, quasi dicas mi-
hi? Si peccator es, & vis esse amicus me-
us, fac quod ego præcipio tibi. Quid au-
tem præcipis **DOMINE**? Agite pœni-
tentiã: Venite ad me omnes, qui labora- *Matt. 4, 17.*
tis & onerati estis, & **EGO** reficiam *Matt. 11, 28*
vos. Si quis sermonem meum servabit *Ioh. 8, 51.*
mortem non videbit in æternum. Ve-
niam igitur ad **TE** verbis tuis firmissimè
credens: in te jactem omnem fiduciam
meam: ulnis tuis, imò tuis vulneribus
me inseram, certus quòd non secundum
peccata facies mihi, neque secundum ini- *Pf. 103, 10.*
quitates retribues mihi. Sic nimirum
justus, & tuus amicus ero, sic quoque Tu
impensè me diliges. **DOMINE JE-**
SU fidem, quam præcipis, da mihi, da-
tamque conserva & auge usque ad extre-
mum vitæ meæ agonem. Et sic coram *Psal. 27, 13.*
te ambulabo in terra viventium particeps
omni-

omnium honorum quæ sanguine & morte
2. Cor. 2, 9. tuâ præparâsti in te credentibus univer-
sis.



MEDITATIO XIV.

Verborum

Cap. 6, v. 1.

DESCENDIT DILE-
ctus meus in Hortum suum
ad areolas aromatum, ut pa-
scatur in hortis, & lilia colli-
gat.

AUdivisti, ô anima mea, qualis sit
CHRISTUS in se & suâ persona,
& qualis sit in te & omnes credentes per
affectum. Nunc ubi inveniatur quæren-
dum tibi. Novi equidem eum nusquam
non esse, tam juxta humanitatem, quàm di-
vinitatem suam: quo concludatur, ut inte-
rim alibi non sit, non habet ipse locum.
Verùm ubiq; locorum non apparet mihi,
neque ego ubique quærere eum possum,

206

aut debeo: ad arcanam enim majestatis
sedem aditus mihi non pater. Quæren-
ti eum sedulo Ecclesia mihi dicit: DE-
SCENDIT IN HORTUM SU-
UM. In horto ejuseum quæram, ibi e-
um inveniam. Responsum hoc, imò ora-
culum potius altius considera, anima mea:
magna enim consolationis mysteria in se
continet. DESCENDIT, inquit Sponsa
CHRISTI, pulcherrima illa omnium
mulierum. Descendit nimirum ad nos
homines de cælo, ut nobiscum esset, suasq;
res pro salute nostrâ in se susceptas, inter
nos, in terris perageret. Et postquam eas
consummavit, ascendit quidem ad cælos,
præsentiam verò suam mundo non subdu-
xit: sed per Evangelij prædicationem in or-
be universo sibi plantavit hortum illum, in
quo jam versatur & Homo & Deus. Quis
verò, aut qualis ille HORTUS? Ecclesia
est credentium in nomen ejus. ô hortum e-
gregium! ô optatissimam amœnitatem!
Quod doctus quidem & sapiens de amici
sui horto scripsit, rectius ego de Ecclesia di-
cere possum: Cælum habet, qui hortum hunc
habet. Imò qui horti istius non est incola in
terris, beatitudinis cælestis hæres & incola
non erit. Extra pomeria istius nō est salus.
In Horto isto (Ecclesiâ) habitat Christus ad
fi-

finem mundi usq; Quo modo? Dixi supra; addo jam: Habitat in eo, dum resonare facit doctrinam salvificam fidei & pulcherrimas Euangelij consolationes. Has qui percipit auribus suis, ipsum Christum percipit cum omnibus beneficijs ejus. Et istæ divinatorum in Ecclesia Eloquiorum, preciosæ consolationes AREOLÆ illæ AROMATUM sunt, in quibus Christus versatur, & ad quas ipse vocat & invitat, omnes illos, qui in necessitatibus, maxime autem in tribulationibus cordium suorum multiplicatis, in conscientia delictorum, & sensu iræ divinæ, recreatione valdè opus habent. Omnia ibi virent, florent, fragrant, exhilarant. Amœnitas quid est, si hæc non est?

Matth. 11,
v. 28.
Psf. 25, 17.

Hæc omnia, dicis ô anima mea, verissima sunt. Pulcherrimus est hortus Ecclesia: Patens ille est omnibus: Omnibus sufficit amœnitas ejus: areolæ ejus omnibus aromata illa suppeditant, quæ ad animarum recreationem desiderari possunt: Quid verò est, ô Sponsa CHRISTI celeberrima, quod dicis CHRISTUM DILECTUM TUUM PASCI IN HORTO SUO? Quid est quod dicis, EUM COLLIGERE LILIA? Sed benè habet. Scio etiam hoc mysterium. Delitiæ tuæ, ô JESU, sunt cum
filijs

Prov. 8, 31.

filiis hominum. Cum igitur in horto tuo
tecum versamur, & per tuam gratiam non
sumus steriles, sed fructus ferimus fidei,
recipis tu illos atq; uteris eis in tuis mem-
bris. Atque ita ab eis sive per eos pasci
diceris: grata illi tibi præbent convivia.
LILIA COLLIGIS, rosasq; decerpis,
cum fideles tuos, tuos electos, tuoq; Spi-
ritu illustratos ad te trahis, tibiq; sincerâ
fide ac perfecto amore magis magisque
conjungis & unis.

*Matth. 25.
v. 40.*

DOMINE JESU Tuæ bonitatis est,
quòd te novi: auditui meo gaudium dat
& lætitiâ, cum benignum in me affe-
ctum tuum (ô sapientiam absconditam!)
manifestas mihi: benignè mihi facis in
bona voluntate tuâ, quòd hortum tuum,
ubi habitas, & in quo ego te invenio, ape-
ruisti mihi; imò & in illum introduxisti
me. Amœna illic mihi pascua sunt, sunt
ibi aquæ refectionis. Tu ibi mecum es, &
facis ut umbras mortis, & mala cætera
non timeam. Una dies in AREOLIS illis
Tuis melior est super mille. Elegi ego ab-
jectus esse, & sedere in limine illius horti
tui vel janitor aliquis, quàm in poten-
tissimorum mundi hujus Regum palatiis
inter summos esse. Hanc mihi mentem,

Pf. 51. v. 17.

Pf. 23. v. 2.

Pf. 84. v. 11.

ô æterne Rex, perpetuum conser-
va. AMEN.

H 5

MEDI-

MEDITATIO XV.

Verborum

Capit. 7. v. 11.

VENI DILECTE MI.
Egrediamur in agros, & com-
moremur in villis.

SICUT qui in amplis & populosis ur-
bibus habitant, multas inquietudines
experiuntur, variis ex rebus hominum,
nimirum hinc inde cursitantium vocife-
ratibus, ex strepitu plaustrorum in plate-
is, ex hinnitibus equorum. Nunc molesti
sunt noctuq; dieq; crebri canum latratûs
ante fores: aures opificum mallei nobis
obtundunt: Rixantur nunc inter se vici-
ni: fit concursus tumultuantium: nandi-
nationes in foro & crebros & altos ho-
minum excitant clamores. Et quis ejus-
modi, quæ in urbibus continuæ sunt,
molestias omnes recenseat? Eum, qui
inter illas versari necesse habet, optare,
sæpe, putandum est, ut in tranquilliori
loco sit & vivere liceat: maximè autem

fi

si quis gravibus domi rebus & officij ne-
gotiis affixus est: si quis lecto æger dequ-
bit: si quis cum alijs consultat: si quis cum
libris, mutis præceptoribus suis, loquitur.
Ita cum Ecclesiâ CHRISTI comparatum
est: Etsi enim homo pius ac credulus
cum CHRISTO est, CHRIS-
TUM sibi præsentem habet semper, cum
eo vigilat, cum eo dormit, tamen in tu-
multibus est, molestiis variis circunda-
tus est: liberari ab illis desiderat ac petit,
illud tamen in hac vita non impetrat.
Tumultum enim ei nunc movet ipse Sa-
tanus communis omnium piorum ad-
versarius, tentationibus noxiis, quas quis
enumeret? Nunc impii Satanæ milites
variis itidem modis negotia facessunt: *Job. 7, 7. 10.*
nunc veteris Adami intus forisq; pugnas
sustinere necesse habet. Quid verò ego
multis hæc expeditio cognitissima? Mili-
tia omnis in his terris vita nostra est: sem-
per pio homini standum in acie. Desi-
derat igitur EGRESSUM IN AGROS,
AD VILLAS, AD VINEAS, hoc
est, ad loca pacis & tranquillitatis. Nun-
quid verò in ejusmodi locis rurestribus
homo pius ab illis tumultibus immunis
est? Num pacem & tranquillitatem
venit ibi?

Haud

Haud puto: nam & illic hostes illi nostri
habent, quo nobis ægrè faciant. Qui ur-
banos illos tumultus ferre nequeunt, ad
illa pacatiora loca anhelant: ad illa, si
modò licet, egrediuntur: in illis, donec
licet, commorantur. Pio verò homini E-
GRESSUS alius est: ejusmodi secessus
locales non respiciunt potissimum. Qua-
lis verò, ô Ecclesia Sponsa CHRISTI tuus
& tuorum EGRESSUS ille est? EGREDI-
TUR pius quisque, cum ab omnibus vitæ
hujus miseriis morte placidâ liberatur,
EGREDITUR vivus, cum propter Chri-
stum omnia mala voluntariè & forti ani-
mo perfert ac tolerat. EGREDITUR,
cum in mediis turbinibus ac molestiis si-
let Domino, ac super eum omnes cura
suas devolvit, dicens: Tu facies: Tu non
dabis in æternum fluctuationem mihi.
EGREDITUR, cum mundi divitias, &
delicias, mores & honores, & quæcûq;
illis malorum irritamenta adjacent, deserit,
securus contemnit, ac irridet, ut CHRI-
STO adhærere possit. EGREDITUR de-
mum, dum carnis inclinationes pravæ
quotidie exsult, crucifigit, mortificat, in-
quæ CHRISTO ad novitatem vitæ resur-
git. Hi EGRESSUS ejus, ejus secessus,
ejus & quietis loca sunt. Addo autem
&

Pf. 37. v. 7.

Pf. 55. v. 23.

& hoc: SI CUM CHRISTO EGREDIATUR. *Si cum illo* moriens egrediatur vitâ hac: *Si cum illo* vivus per patientiam ad ferendam crucem ejus paratus est: *Si cum illo* crucifixo pro se crucifigat vetustatem carnis suæ. O felices *Egressus* ejusmodi! Sine CHRISTO qui egreditur, quò & ad quem gradietur, ut sâlvus sit, & tranquillus? Nusquam. Bonum est egredi cum IPSO: Bonum est habitare, ubi ipse *Psa. 84. v. 10.* habitat. DOMINE dilecta mihi sunt tabernacula tua; in atria tua concupiscit anima mea. Illuc mecum egredere! Ex nido, quem illic mihi inveni per tuam gratiam, me non exturbari permittes.



MEDITATIO XVI.

Verborum,

Capit. 8. v. 6.

PONE ME UT SIGNACULUM super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum.

DOMINE JESU dilectio tua, quâ me & quidem universum genus humanum

num complexus es, summa est: quæ eam
adaquaret, nemo unquam est expertus.
Ejus tantus est fervor, quem vel ipse Oce-
anus non possit extinguere. De ea di-
lectione tua hactenus piè quidem & salu-
briter meditatus sum: Verùm quod inte-
grum esset, anima mea, lingua mea, pen-
na mea non potuerunt apprehendere,
proferre, conscribere. Defectiva sunt o-
mnia: ad perfectionem illorum, cum ad
alterius vitæ Scholam pervenero, digre-
diar. Priusquam autem finem faciam,
istarum meditatiuncularum, significes
pro bonitate tuâ mihi, quale nam ad a-
moris in te mei contestationem speci-
men à me requiras. **PONE ME (re-
spondes) UT SIGNACULUM SUPER
COR TUUM, ET UT SIGNA-
CULUM SUPER BRACHIUM
TUUM.**

Requiris nempe *Signaculum*. Signum
vel Signaculum quid? Illud videlicet est,
quod ante oculos nostros positum de re-
bus certis nos admonet, quoties intue-
mur illud. Si qui igitur in corde meo sur-
gunt affectus: si quid cogito: Si quid me-
ditor vel ad domesticos, vel ad populum
in publico, quod loqui velim, **TE pro
signo**

signo in corde meo mihi proponam, hoc
est, ad te respiciam: Toto corde meo Ti-
bi adhæream: à Te nusquam deflectam.
BRACHIUM verò, quod & ipsum pro
signaculo ponere TE debeo, quid illud
nisi robur & fortitudinem meam, & o-
mnia quæ per vires facio opera signifi-
cat? Si quid operor aut laboro, te pro si-
gno meo intuear: Te præsentem, & quasi
Tuos ante oculos omnia faciam. Video
Te per fidem? facile intelligam quid mi-
hi faciendum, quidve minus. O beatos
labores illos qui in conspectu tuo per fi-
dem fiunt! Ô miserrimos verò qui mundi
& carnis signa in conspectu ponunt sibi,
homines carnales & absque fide nimi-
rum! Misere illi peribunt, flamma o-
mnia carnalia eorum operâ absorbebit.
Cur autem Signaculum nostrum esse velis,
Ô JESU, quid est, quod interrogem?
Tu es Sponsus: Vir & miserator meus: Tu
es Dominus meus: unicus omnium no-
strorum Rex & Pastor: Tu es DEUS ad sal-
vandam, & DEUS DEUS educens ex morte:
Tu vulneratus es propter iniquitates no-
stras; Tu es occisus, & redemisti nos DEO
in sanguine tuo ex ôni tribu, & linguâ &
populo, & natione, & fecisti nos tibi DEO
nostro

Ioan. 3. 29.

Ose. 2. v. 16.

Esa. 49. 10.

Pf. 68. v. 21.

Esa. 53. 5.

Apol. 5. 9. 10.

Jer. 23. v. 6. nostro regnum & Sacerdotium: Tu es iustitia nostra. Propter hæc nimirum & innumera alia beneficia tua nobis exhibita, Te, ut Sponsa fidissima, diligam: Tibi, ut servus & subditus obedientissimus obsequium præstem humilimum: sine te nihil; omnia ad nutum tuum, inq; gloriam & laudem tuam, faciam.

Dilectionis illius tuę ignis, ô mi Domine JESU, faciat ut in te ardeam salubriter. Gloriarî in mentem & linguam meam venit? fac ut in te glorier. Signum & vexillum amoris & crucis tuę ante oculos meos pone & conserva semper, ut sub eo militiam hujus vitę sustineam, & vincam cum gloriâ. Zeli verò tui ignem infernalem, ut summo studio evitare discam, juvet me Spiritus Sanctus tuus. Accensa illa abs te flamma, vindicta tua, eos, qui te non diligunt, sed ad alios accelerant, corripiat & consumat. AMEN.

*Ad Nos Deus Revertere Et Adfer Salutem:
Homines Enim Nos Ærumnosi Undiquaq;
Sumus.*


F I N I S.





2
i
2
a

DESSON GIORA









Je 2729^a5


ULB Halle
006 836 186

3



TA-OL

VOM





4.

CANTICUM
CANTICORUM
SALOMONIS,
Liber *Jd 4800*
De
CHRISTI IESU,
ET ECCLESIAE SPON-
sae ejus ardentissimis simul et-
iam castissimis amo-
ribus,
Carminē Elegiaco redditum
Ab
ANDREA HENÆO, P. L.
Ecclesiae Wangenheimensis
Pastore.
WITTEBERGÆ
Typis Job. Gorman. Anno 1616.

